DE ACCENTVVM GRAECORVM NOMINIBVS

SCRIPSIT

PAVLVS HANSCHKE

BONNAE
A. MARCVS ET E. WEBER
MCMXIV

DISSERTATIO
PROBATA AB ORDINE PHILOSOPHORVM
BONNENSI MCMXIV

TYPIS CAROLI GEORGI TYPOGRAPHI ACADEMICI

AVGVSTO BRINKMANN
ANTONIO ELTER
FRIDERICO MARX

Difficillimam is suscipit quaestionem, qui in linguae alicuius veteris pronuntiationem inquirit atque accentus. Nam ut in tabulis statuisque non inest motus habitusque intima illa species, in qua uniuscuiusque hominis cernitur proprietas, ita litteris notisque servatur modo rigidum linguae quasi cadaver, neque exprimi possunt subtiliores illae sonorum varietates, quae linguae reddunt colorem atque pulchritudinem. Accedit, quod talibus notis non egent ii, apud quos viget sermo ille, ita ut dicere quis possit quo maius intercedat discrimen inter vivum sermonem et eum qui notatur, eo pluribus opus esse pronuntiandi adminiculis. Ab altera parte ne cernuntur quidem gravissima atque peculiaria ab iis, qui una tantum lingua adsueti non possunt comparare contraria. Et Graecos notum est respuisse peregrini sermonis notitiam, ita ut pauca tantum exstent testimonia, ubi Graecorum et Romanorum pronuntiatio a Graeco scriptore comparatur. Plerique censent ab Aeolica dialecto derivatum esse sermonem Latinum. Plura inveniuntur apud Latinos, qui semper studuerunt suum os atque proloquendi modum fingere ad Graecorum exemplar. Gravissimus est Quintiliani locus notus 12, 10, 33: „accentus quoque cum rigore quodam, tum similitudine ipsa (i. e. μονοτονίᾳ, cf. Cic. de inv. 1, 76) minus suaves habemus (sc. quam Graeci), quia ultima syllaba nec acuta umquam excitatur nec flexa circumducitur, sed in gravem vel duas gravis cadit semper.“ Sed si commotus talibus locis, quos colligere sane operae pretium erit, pergis ad grammaticos Latinos et ab iis postulas, ut doceant de accinendi discrimine quod intersit inter Graecos et Latinos, fere nil agis. Nam ut in aliis rebus ita in his Romani toti pendent a Graecis, ita ut omnino non possint explicari

nisi Graecis antea intellectis. Quod apparuit in Schoellii collectione Ritschelio auctore confecta „De accentu linguae Latinae veterum grammaticorum testimonia coll. Fr. Schoell“ (Act. soc. phil. Lips. vol. 6); nam ut multum iuvat libellus ille ad Graecorum opiniones ex Romanorum imitatione recuperandas, ita saepissime Schoellius in explicatione erravit neque ei contigit, ut firmum poneret totius quaestionis fundamentum. Multo autem magis e re erat Graecorum de accentus natura testimonia colligere et enarrare, quam quaestionem proposuit amplissimus philosophorum ordo universitatis Bonnensis ante hos quattuor annos. Sed ea quaestio multo maior et difficilior erat quam quae ad diem constitutam aliquatenus solvi posset. Multi quidem in ea testimonia inquisiverant, plurima collegerant, in singulis verum assecuti erant; sed in tota quaestione minime inter viros doctos convenit: alii contenderunt musicam fuisse indolem accentus Graeci et ab omni ictu vehementiaque alienam; alii plane in contrariam partem abierunt; alii, id quod hodie saepius invenies, inter utrosque medium occupaverunt locum[1]). Kretschmer autem (Zeitschr. f. vgl. Sprachf. 30, 591 sqq.) inter primos dixit mutatam esse accentus Graeci naturam e musica in eam quae consistit in vi atque ictu; sed priusquam haec mutatio, quam quondam factam esse probat ars metrica, tractari posset, accurate erat demonstrandum antea praecipue prosodiam positam fuisse in altitudine et quasi cantilena sermonis. Quod vehementissime omnium negaverat Schoellius l. l. Utraque pars artis vocabulis nitebatur; alteri contendebant vocibus τόνος ἐπιτείνειν ὀξύς indicari vim atque vehementiam; contra Kretschmer l. l. p. 592 monuit omnes eas voces a musicis nuncupari de chordis ideoque ad altitudinem pertinere. Accedebat, quod priores, sicuti Misteli, eodem modo

---

1) Eos qui de accentu Graeco egerunt, non opus est enumerare; nam antiquiores affert Fr. Misteli Theorie der griechischen Betonung 1875 p. 2 sqq., recentiores Vendryes Traité d'accentuation grecque 1904 p. XV sqq.; cf. etiam Ehrlich Untersuchungen über die Natur der griech. Betonung 1912 prooem., et compendia grammatica. Testimonia de accentus Graeci natura primus suscepit colligere Liscovius Über die Aussprache des Griechischen und über die Bedeutung der griech. Accente, Lipsiae 1825.

Eustathii quo Platonis testimonio utebantur. Historicam quidem adhibuit rationem Kretschmer; sed mutationem praecipue spectavit neque singula curavit. Posteriores eam rationem non ita ut debuerunt secuti sunt. Nam Iacobus Wackernagel (Beiträge zur Lehre vom griechischen Akzent, Basil. 1893), a grammaticis orsus, retro rem prosecutus est usque ad Platonem ideoque prioribus grammaticorum opiniones falso imputavit. Vendryes l. l. nitido quidem libello (de quo cf. Solmsen Berlin. phil. Wochenschr. 1906, 1333 sqq.) omnia collegit quae inventa erant, sed in singula plerumque omisit denuo inquirere, ita ut nimis pendeat a prioribus. Neque Hugo Ehrlich (Zeitschr. f. vgl. Sprachf. 39, 571 sqq. = Untersuchungen p. 250 sqq.), qui rem gravissimam primus protulit Dionysium Halicarnassensem non novisse accentum gravem pro acuto in constructione verborum positum quique Wackernagelium bene refutavit, satis accurate singula tractavit, ita ut fundamento careant ea, quae de prosodia media proposuit. Itaque si quaerimus, cur etiamnunc tota res incerta sit, quamquam post Reizii disputationem „de inclinatione accentus Gr.“ tot viri docti egerunt de prosodiis, apparet nimis esse neglectam temporum rationem. Primum igitur ab ovo ut dicunt repetenda est historia n o m i n u m prosodiacorum, in quibus plerosque haerere vidimus; nam si cognoverimus, cur et a quibus et quando vocabula ista ad accentus translata sint quasque habuerint vices, antequam grammaticorum usu stabilirentur atque figerentur, tum non iam dubitabimus de eorum indole meliusque fortasse intellegemus quales ipsi Graeci in sermone suo accentus percipere sibi visi sint. Itaque facere non poterimus, quin omnibus illorum vocabulorum vicibus excussis[1]) interpretemur antiquissima de accentibus testimonia, et primum quidem quatenus ad nomina eorum pertinent. Deinde — ut etiam ultra praesentia quaestionum adumbrem nexum — reliqua testimonia, quae praecipue grammaticorum sunt, explicanda erunt necessi-

---

1) Ubi, si quid praeterea proficere poterimus ex illarum vocum historia, id non neglegemus neque nimis anxie quaeremus, pertineatne ad ipsum propositum; nam displicet rerum interrumpere nexum, v. infr. p. 72.

tudinesque detegendae, quibus inter se coniunguntur; imprimis Herodiani eiusque patris si fieri potest rationes et fontes erunt investigandi; nam si quis sumat in his rebus genuinam nos tenere Aristarchi doctrinam, me quidem iudice vehementer erraverit. Grammaticorum opiniones illustrantur notarum usu, qui describendus est ab iis qui talia invenerunt usque ad eum quem nos sequimur modum [1]). Quae omnia supplenda erunt illis quasi tacitis testimoniis, quae casu de accentibus docent, velutsi Menander apud Athen. 13 c. 28 (fr. 381 Kock) dicit:

πεποίηκατ' ἔργον οὐχ ἑταίρων, ⟨Παρμένων,
⏑ ⏑ –́ ⏑ –́ –
μὰ Δί'⟩ ἀλλ' ἑταιρῶν· ταὐτὰ δ' ὄντα γράμματα
τὴν προσαγόρευσιν οὐ σφόδρ' εὔσημον ποιεῖ.

Hoc enim exemplo docemur Gaecos in versibus distincte pronuntiasse accentus. Sic delabimur ad novam quaestionem eamque ad definiendam accentus naturam gravissimam: quaenam fuerit vicissitudo inter accentus et metra [2]); insuper accedit numerus oratorius. Quocum cohaeret quaestio de accentus indole mutata, quam movit Kretschmer. Nam Neograeci in versibus faciendis sicuti nos accentus sequuntur, quales primi

---

1) Ad quem stabiliendum multum contribuerunt ii qui primi codices minusculis litteris curaverunt scribendos, praecipue Photius et Arethas. Veluti apologetarum codicem Parisinum (451) anni 914 ipse Arethas cum corrigeret accentibus reliquisque signis instruxit, cf. Geffcken Zwei griechische Apologeten p. 117. De illorum codicum accinendi modo egit M. Reil Byzant. Zeitschr. 19 (1910) 476—529. Chartarum signa excussit B. Laum Argentoratensis, cum solveret quaestionem a philosophis academiae Berolinensis anno 1909 propositam, qui lucubrationes suas mox edet.

2) Hanc tractaverunt veteres de poematibus scriptores, in his Demetrius Byzantius apud Philodemum de poematibus (Philodemi περὶ ποιημάτων libri II quae videntur frgm. coll. A. Hausrath Annal. philol. suppl. 17 p. 246 fr. 18; de Demetrio cf Hausrath p. 214), qui ostendit iam Homerum operam dedisse accentuum varietati, cum scriberet ἁλὸς ἔξω (P 265); nam si scripsisset ἁλὸς ἐκτός, ἀμφοτέρων ἐπιτεινομένων ὀχλεῖσθει τὴν ἀκοήν. Ex nostratibus hanc rationem iniit R. C. Kukula Aphorismen über metrisches Lesen (Στρωματεῖς, Grazer Festgabe zur 50. Vers. deutscher Philol. u. Schulm. 1909 p. 91 sqq.), qui iustum modum longe excessit, cum diceret metrum quasi pendere ab accentibus.

fuerunt Byzantinorum versus politici[1]). In hymnis christianis (cf. Christii et Paranicae Anthologiam carminum christianorum; de rhythmica compositione Christ proll. p. 73 sqq.) videmus totum compositionis metricae fundamentum concussum labefactari. Sed multo antea mutatio illa coepta est fieri, quod tempus ut accuratius definiatur certe aliquando continget. Interim accentus mutati antiquissimum certum testimonium tenemus legis Meyerianae vigentis primordia. Nam quae ex vocalium vel adeo consonantium condicione viri docti in hac re concluserunt (auctores affert e. g. Mayser Grammatik der Papyri der Ptolemäerzeit p. 139; cf. Kretschmer Zeitschr. f. vgl. Sprachw. 29, 397), ea adhuc parum sunt certa. Omnino nostrae aetatis grammatici ex vocis sonorum condicione novas acquirunt rationes, quibus accentum ex effectu ut arborem e fructibus sperant se esse agnituros, in his H. Ehrlich Untersuchungen (de cuius libri ratione cf. prooemium). Denique ad accentus cognoscendos contribuunt melodiarum reliquiae, in quibus quoad fieri potest prosodiam diligenter servatam videmus.

1) Huius rei diserta testimonia adhuc non inveni nisi satis recentia, veluti Iosephi Rhacendytae Synops. rhet. 3, 546, 4 Walz: οὐ μόνον δέ (sc. ἀπὸ συνθήκης), ἀλλὰ καὶ ἀπὸ τοῦ τόνου γίνεται ἡ ποιά τις ἀπήχησις τοῦ ῥυθμοῦ, δηλονότι ἂν ὀξύτονός ἐστιν ἡ λέξις ἢ παροξύτονος ἢ τοιαύτη τις. Ἐὰν γὰρ εἴπω, Χριστὸς γεννᾶται, δοξάσατε, Χριστὸς ἐξ οὐρανῶν, ἀπαντήσατε, εὔηχον τὸν λόγον ποιῶ· εἰ δὲ οὕτως εἴπω, Χριστὸς γεννᾶται, δοξαστέον, Χριστὸς ἐξ οὐρανῶν, ἀπαντητέον, διὰ τῶν παροξυτόνων ἀρρυθμότερον τὸν λόγον ποιῶ — —. Γίνεται ποιός τις ῥυθμὸς καὶ ἀπὸ τῆς τῶν λέξεων τῶν βραχυτέρων καὶ μακροτέρων συνθήκης, ἐὰν ὑπαλλάττῃ τις αὐτὰς ἐμμελῶς, οἷον μικροῦ Κυπριανὸς διέφυγεν ἡμᾶς — καὶ ὑμεῖς ἠνέσχεσθε οἱ πάντων μᾶλλον τὸν ἄνδρα θαυμάζοντες· ὅρα πῶς παραλλὰξ καὶ ἀμοιβαδὸν αἱ μικρότεραι λέξεις κεῖνται καὶ αἱ μείζους καὶ συντελοῦσι τὴν εὐρυθμίαν· οἷον Χριστὸς γεννᾶται, δοξάσατε, ἐκ δισυλλάβου ⟨ἤρξατο sim., Walz falso ἐστὶ δισύλλαβον⟩, καὶ ἐκ τούτου εἰς τὸ μεῖζον προέκοψε, καὶ ἔοικε τοῦτο κλίμακι καὶ ἀναβάσει —· οὐ τοσοῦτον δέ τι τῶν ῥηθέντων ὡς ὁ τόνος, οἶμαι, τιθέμενος ἐπικαίρως τὴν εὐρυθμίαν ποιεῖ·· χρὴ οὖν ὑπαλλάττειν εὐτάκτως τὰς ὀξυτόνους κα παροξυτόνους καὶ λοιπὰς λέξεις. Similiter Maximus Planudes De grammatica dialog. (Bachmanni Anecdot. II p. 100, 30) postquam exposuit despiciendos esse versus istos vulgares, μηδαμῶς inquit τὴν τῶν τόνων περιορᾶν ἁρμονίαν· ἔσῃ γὰρ δύο καλῶς συνάψας εἰς ἕν, ποδῶν τε μέτρον καὶ τόνων ῥυθμόν.

Multas igitur vias inierunt viri docti neque tamen unam adhuc absolverunt neque prima primo loco tractaverunt. Itaque interim mittamus totam quae est de natura prosodiae quaestionem utpote quae suscipi nondum possit, et satis habeamus ea vocabula accurate explicare, in quibus tota haec doctrina posita est, voces dico ὀξύς, βαρύς, τόνος, ἁρμονία, προσῳδία. Nam hae solae ad antiquissima recedunt tempora; reliquae posteriorum grammaticorum sunt; hae totam complectuntur rem; reliquae singula notant. Quorum primum inde ab Homero prosequar historiam usque ad accentuum inventionem. Altera parte libelli conabor earum usque ad usum a grammaticis fixum, si fieri potest, explicare vices. Quibus rebus absolutis per se apparebit, num quid ex his vocibus concludi possit de vera accentus Graeci natura.

De vocibus ὀξύς et βαρύς.

Primo obtutu mirum videtur has voces in accentibus componi atque opponi, id quod veteres quoque animadverterunt, ut Varro apud [Sergium] de accent. p. 531 Keil (Schoell l. l. test. 36): „eam (sc. prosodiam) quae sursum est, alius aliter, sed nemo adhuc levem vocavit, quamvis id erat gravi contrarium; verum ea nomen obtinet ὀξεῖαν, latine acuta ideo quod tenuis ⟨est?⟩ et omne acutum tenue.“ Sed aperte Varro, cum rem ignoret, tergiversatur. Hariolatur scholiasta in Dionysium Thracem, Melampus seu Diomedes p. 23, 2 H.: ὀξεῖα δὲ εἴρηται ἀπὸ μεταφορᾶς τῶν δρομέων τῶν εὐκινήτων καὶ ὀξέως τρεχόντων· οὗτοι γὰρ καὶ ὀξεῖς εἰσι καὶ ἐπὶ τὰ ἄνω νεύουσιν sicuti acuti nota, de qua antea locutus erat; de gravi p. 23, 10: αὕτη γὰρ μετὰ ὁμαλότητος τίθεται, ἥτις εἴρηται ἐκ μεταφορᾶς τῶν τὰ φορτία βασταζόντων· ὥσπερ γὰρ οἱ βαστάζοντες ταῦτα τῷ βάρει συνωθούμενοι κάτω νεύουσι καὶ ὁμαλωτέραν τουτέστι χθαμαλωτέραν τὴν βάδισιν ἀναγκάζονται ποιεῖσθαι, τὸν αὐτὸν τρόπον καὶ ἡ βαρεῖα κάτω νεύει. Rectius vidit Aristoteles de anima 2, 8 p. 420 a 27: ὥσπερ γὰρ ἄνευ φωτὸς οὐχ ὁρᾶται τὰ χρώματα, οὕτως οὐδ’ ἄνευ ψόφου τὸ ὀξὺ καὶ τὸ βαρύ· ταῦτα δὲ λέγεται κατὰ μεταφορὰν ἀπὸ τῶν ἁπτῶν· τὸ μὲν γὰρ ὀξὺ κινεῖ τὴν αἴσθησιν ἐν ὀλίγῳ χρόνῳ

ἐπὶ πολύ, τὸ δὲ βαρὺ ἐν πολλῷ ἐπ' ὀλίγον. οὐ δὴ ταχὺ τὸ ὀξύ, τὸ δὲ βαρὺ βραδύ, ἀλλὰ γίνεται τοῦ μὲν διὰ τὸ τάχος ἡ κίνησις τοιαύτη, τοῦ δὲ διὰ βραδυτῆτα. καὶ ἔοικεν ἀνάλογον ἔχειν τῷ περὶ τὴν ἁφὴν ὀξεῖ καὶ ἀμβλεῖ· τὸ μὲν γὰρ ὀξὺ οἷον κεντεῖ, τὸ δ' ἀμβλὺ οἷον ὠθεῖ διὰ τὸ κινεῖν. Tamen τὸ ἀμβλύ non idem est quod τὸ βαρύ, neque umquam de voce obtusa locuti sunt Graeci. Paulo etiam accuratius Sextus Empiricus adv. mus. cap. 40: τῆς δὲ φωνῆς ἡ μέν τίς ἐστιν ὀξεῖα, ἡ δὲ βαρεῖα, μεταφορικώτερον ἀπὸ τῶν περὶ τὴν ἁφὴν αἰσθητῶν ἑκατέρου τούτων λαμβάνοντος τὴν προσηγορίαν· καθάπερ γὰρ τὸ κεντοῦν καὶ τέμνον τὴν ἁφὴν ὀξὺ προσηγόρευσεν ὁ βίος καὶ τὸ θλάσιν ἐμποιοῦν καὶ πιέζον βαρύ, τὸν αὐτὸν τρόπον καὶ τῆς φωνῆς τὴν μὲν οἱονεὶ τέμνουσαν τὴν ἀκοὴν ὀξεῖαν, τὴν δὲ ὥσπερ θλῶσαν βαρεῖαν, cf. Suidam v. ὀξὺ καὶ βαρύ. Sed non semper coniunctae fuerunt hae voces, quamquam, posteriorum usu inducti, et veteres (cf. Iahnum ad Aristidem Quintilianum p. 58[1]) et nostrates (in his Kretschmer l. l.) iam in Homero talia agnoscere sibi visi sunt. Revera post longum demum temporis spatium coniunctae sunt; quod quomodo factum sit, nunc erit explicandum[1]).

Vox ὀξύς[2]) primitus significat quidquid acutum est, acumine cito penetrat, secat, vulnerat. Sic ab Homero ὀξέα vocantur φάσγανον Α 190, βέλος Δ 185 Λ 269, 392, 845, δρεπάναι Σ 551, δόρυ Δ 490 al., ἄορ Φ 173 κ 321 λ 24, cf. [Hes.] Scut. 457, ξίφος Δ 530 al., λᾶας Μ 447 (opponitur παχύς: πρυμνὸς παχύς, αὐτὰρ ὕπερθεν ὀξὺς ἔην), Π 739, χαλκός Δ 540 saepissime, cf. [Hes.] Scut. 335, πέλεκες Ο 711

---

1) In Homero multum me adiuverunt largae Lexici Ebelingiani copiae, quod nunc semel attulisse sufficiat. Ibidem et scholia et lexica et grammatici ut veteres ita recentes et Eustathius sim. abunde arcessuntur. Mea pluris intererat singularum locutionum nexus detegere quam in singulis tractandis morari.

2) Non constat de stirpium οξ sive οκ et ακ et ωκ et ηκ necessitudinibus. ηκ (cf. ἀμφήκης, πυριήκης) et ωκ (cf. ὠκύς, ὦκα) et ακ (cf. ἄκων, ἀκωκή, ἀκαχμένος, ἄκρος, acer, acutus; plura habet Prellwitz Etym. Wörterbuch der gr. Spr.[2] 1905 sub his vocibus) fortasse eiusdem stirpis flexiones vocalis variatione mutatae sunt.

γ 442, σκόλοπες Μ 55, πάγοι ε 411, ὄγκοι Δ 214, μόχλος ι 382, ἄκων Κ 335 ξ 531 φ 340. Praeterea legimus ὀιστὸς ὀξυβελής Δ 125, et satis multi versus exeunt in ἔγχει ὀξυόεντι, cf. Ε 50, Hesiodi fr. 94 I 3 Rz. Denique huc pertinet ὀξύσχοινος Batrachom. vv. 164, 245, cf. 214, 253. Omnino mox omnia vocantur ὀξέα, quae in cacumen exeunt, veluti κορυφή μ 74. Deinde vox facili metaphora transfertur ad vehementes dolores corporis, imprimis vulnera, quae ipsa quoque quasi pungunt et penetrant (nos: stechende Schmerzen)[1]. Recentem adhuc translationem sentimus Λ 267 sqq.:

αὐτὰρ ἐπεὶ τὸ μὲν ἕλκος ἐτέρσετο, παύσατο δ' αἷμα,
ὀξεῖαι δ' ὀδύναι δῦνον μένος Ἀτρεΐδαο.
ὡς δ' ὅτ' ἂν ὠδίνουσαν ἔχῃ βέλος ὀξὺ γυναῖκα,
δριμύ, τό τε προϊεῖσι μογοστόκοι Εἰλείθυιαι,
Ἥρης θυγατέρες πικρὰς ὠδῖνας ἔχουσαι,
ὡς ὀξεῖ' ὀδύναι δῦνον μένος Ἀτρεΐδαο.

De acutis doloribus queritur Glaucus vulneratus Π 518, cf. ὀδύνη ὀξεῖα v. g. Hippocrat. Prognost. I 102, 9 Kühlewein. Deinde sic ut omnino dolores animi cum morbis vulneribusque comparantur, verbum ὀξύς eam quoque sibi adscivit regionem: v. Τ 125 Iuno postquam Herculis partum prohibuit, contra Eurysthei maturavit, gloriata Iovem affatur:

ἤδη ἀνὴρ γέγον' ἐσθλός, ὃς Ἀργείοισιν ἀνάξει —.
ὣς φάτο, τὸν δ' ἄχος ὀξὺ κατὰ φρένα τύψε βαθεῖαν.

Egregie verbo τύψε poeta testatur primariam vim vocis ὀξύς (eandem imaginem habes Ι 3 πένθει ἀτλήτῳ βεβολήατο, Ι 9 ἄχεϊ μεγάλῳ βεβολημένος ἦτορ, cf. κ 247). Χ 425 ἄχος ὀξύ dicitur de Priamo Hectoris mortem deflente; τ 517 ὀξεῖαι μελεδῶνες excitant Penelopen absentis mariti desiderio perculsam, cf. Pind. Ol. 6, 37 Pyth. 3, 97. Omnino ut par est

1) Plane eodem modo πικρός est 1) acutus penetrans, scharf, veluti ὀιστός Δ 118, 134 Ε 110 saepe, βέλεμνα Χ 206, 2) acerbus acer ὀδυνηρός χαλεπός (cf. Et. Magn. 671, 50), veluti ὠδῖνες Λ 271, Sophocl. Trach. 42; item apud posteriores διανταῖος penetrans, veluti βέλος Aesch. Choeph. 184, πληγή Sept. 895, ὀδύνα Eurip. Ion. 766. Ceterum de morbo cum telo comparato cf. Ev. Matthaei 8, 6 ὁ παῖς βέβληται, i. e. aegrotat, cubat aeger, cf. 8, 14. 9, 2.

de doloribus animi progressi sunt ad affectus vehementes. Sic Martis iracundia notatur adiectivo ὀξύς, plerumque in clausula ἐγείρομεν ὀξὺν Ἄρηα: B 440 H 330 Θ 531 Λ 836 P 721 C 304 T 237; cf. hymn. in Martem (8) 14 θυμοῦ τ' αὖ μένος ὀξὺ κατισχέμεν, ὅς (sc. θυμός) μ' ἐρέθῃσι φυλόπιδος κρυερῆς ἐπιβαινέμεν. Sic apud Pind. Ol. 2, 45 occurrit ὀξεῖ' Ἐριννύς; idem de amoris furore Nem. 11, 48 ἐρώτων ὀξύτεραι μανίαι[1]).

Plerique eorum quos tractavimus locorum id quoque habent commune, quod motus citatus inest. Quae acuta sunt, celeriter penetrant; acuti dolores per intervalla subito pungunt; nam si morantur, sensus assueti non pariter sentiunt vehementiam, sed quasi onere oppressi sibi videntur (vide i. de voce βαρύς); item rabies pugnae efficit praecipitem agendi festinationem. Sic vox ὀξύς coepit ipsam quoque celeritatem significare, qui usus postea valde increbuit. Notissima est post Hippocratem locutio ὀξεῖα νόσος (iam Pindar. Ol. 8, 85 ὀξείας δὲ νόσους ἀπαλάλκοι); cf. Soph. Phil. 808 ὡς ἥδε (ἡ νόσος) μοι ὀξεῖα φοιτᾷ καὶ ταχεῖ' ἀπέρχεται. Et apud posteriores paene innumeris locis ὀξύς idem est quod ταχύς, ὠκύς, quos locos interdum temptarunt viri docti. Iam apud Homerum ea de qua agimus vox cum voce θοός quam proxima coniungitur affinitate. Nam ab altera parte cum celeri motu saepe coniunctus est animi quidam ardor, ita ut θοός quoque vox ipsa alteri voci appropinquet. Sic Ares vicissim audit ὀξύς et θοός, cf. E 430 Θ 215 al. et nomen proprium Ἀρηίθοος H 137. Item Acamas, „indefessae acritudinis bellator", vocatur θοός E 462. Itaque non solum pernicitas inest (sicuti praeco vocatur Θοώτης M 342), sed etiam studium atque ardor, cf. E 571 = O 585,

1) Similiter transferebatur stirps οκρ-, cf. Prellwitz v. ὄκρις. Ὄκρις est acumen, cacumen: ὀκριόεις spitzig, eckig, scharf, veluti χερμάδιον Δ 518, λίθος Θ 327, μάρμαρος M 380; ὀκριάω idem quod ὀξύνω, ὀκριάομαι = irascor, cf. σ 33 πανθυμαδὸν ὀκριόωντο; ὀκριάζων = τραχυνόμενος Phot. ex Sophocle (fr. 971). Praeterea cf. voces recentiores ἀκράχολος iracundus (Ar. Eq. 41 ubi schol. εἰς ὀργὴν πρόχειρος, Plat. Rp. 411 c Leg. 791 d) et ἀκραχολέω (Plat. Leg. 731 d). De affectibus cum telis vulnerantibus comparatis cf. Aesch. Prom. 649, Ag. 240, Pind. Nem. 1, 48, Telestis fr. 1, 6. Amorem arcitenentem non est quod commemorem.

Π 494 Ε 533, 536. In Odyssea autem θοός etiam in intimam atque primariam regionem stirpis ὀξύς intravit: ι 327 Ulixes de Polyphemi obcaecatione narrat haec:

οἱ δ' ὁμαλὸν ποίησαν (τὸ ῥόπαλον)· ἐγὼ δ' ἐθόωσα παραστὰς
ἄκρον, ἄφαρ δὲ λαβὼν ἐπυράκτεον ἐν πυρὶ κηλέῳ.

Quod Euripides Cycl. 455 sic interpretatur ἀκρεμὼν ἐλαίας ἔστιν ἐν δόμοισί τις, ὃν φασγάνῳ ⟨'γὼ⟩ τῷδ' ἀποξύνας ἄκρον ἐς πῦρ καθήσω[1]). Minus certa res est in νήσοισι θοῇσιν ο 299, de quibus multum disputatum est (cf. Ebeling v. θοός), iam ab ipsis veteribus, cf. [Plutarch.] de vita et poesi Hom. p. 347, 21 Bern.: „ἔνθεν δ' αὖ νήσοισιν ἐπιπροέηκα θοῇσι"· βούλεται γὰρ σημῆναι τὰς κυρίως λεγομένας ὀξείας νήσους· ἐπεὶ συνωνυμεῖ τὸ θοὸν τῷ ὀξεῖ. ὀξὺ δ' οὐ μόνον τὸ κατὰ κίνησιν ταχύ ἐστιν, ἀλλὰ καὶ τὸ κατὰ σχῆμα προηγούμενον εἰς λεπτότητα. τοιοῦτόν ἐστι καὶ τὸ „ἐγὼ δ' ἐθόωσα παραστάς". Eadem fere habet Cocondrius περὶ τρόπων Rh. Gr. 8, 793 Walz; cf. etiam Tryphonem περὶ τρόπων 8, 738. Sed Hesychius dicit τὸ θοόν etiam esse λαμπρόν et θοῶσαι interdum λαμπρῦναι, et apud [Hes.] Scut. 146 legitur ὀδόντων λευκὰ θεόντων, sive hoc θοόν ab alia stirpe venit sive συνωνυμεῖ τῷ ὀξεῖ significanti acutos radios (v. i.); cf. Schulze Zeitschr. f. vgl. Sprachf. 29, 260 sq., Quaest. ep. 287[3], Prellwitz v. θεόντων. Fortasse insulae illae dicuntur λαμπραί, cum sint cretacea saxa. Certe vocis νῆσος veriloquium procul censeo habendum.

Sed redeamus ad vocem ὀξύς, cuius vim primariam pertinere vidimus ad tactum. Unde facile pervenit ad oculos. Nam missilium similitudo optime quadrabat in solis radios, cf. ε 479 ἠέλιος-ἀκτῖσιν[2]) ἔβαλλεν (θάμνους), Eur. Suppl. 650

---

1) θοός pro ὀξύς posuerunt poetae epici posteriores, Homerum docte imitati, cf. Apoll. Rhod. 2, 1114 (δούρατα) θοοῖς συναρηρότα γόμφοις „acutis compacta clavis" (similiter 2, 79) et 3, 1317 μεσσηγὺ δ' ἀείρας χάλκεον ἱστοβοῆα, θοῇ συνάρασσε κορώνῃ „acuto adaptavit anulo". Praeterea θοούς vocat dentes (cf. ὠκυδήκτωρ Philippi Thess. Anth. Pal. 6, 92) 3, 1280; πέλεκας 4, 1681. θοῶσαι pro ὀξῦναι habent Nic. Ther. 228, Opp. Hal. 1, 557; 2, 525.

2) Haec ipsa vox ἀκτίς, cognata scil. cum voce ἀκή, ostendit solis radios Graecis sagittarum instar visos esse.

ἀκτὶς ἡλίου ἔβαλλε γαῖαν; cf. Theocr. 22, 86[1]). Radii vocantur ἡλίου βολαί Soph. Ai. 877, cf. Eur. Or. 1259, Apoll. Rhod. 1, 607. Ita Homerus solis tela vocat acuta P 371:

εὔκηλοι πολέμιζον ὑπ' αἰθέρι, πέπτατο δ' αὐγὴ
ἠελίου ὀξεῖα, νέφος δ' οὐ φαίνετο.

Hymn. Apoll. Pyth. 196 ipse Sol vocatur ὀξύς („stechend"), cf. Hes. Op. 414, ὀξειᾶν ἀκτίνων Pind. Ol. 7, 70 (cf. 3, 24), Theognid. 426, Hippocrat. de aere aq. loc. I p. 63, 15 Kühl. Archilochus fr. 61 similiter de sidere Σείριος καταυανεῖ, ὀξὺς ἐλλάμπων. Nonnulli colores etiam, qui oculos vigore atque vehementia fere laedunt, dicuntur acuti, cf. Aristoph. Pac. 1173 (ταξίαρχον) τρεῖς λόφους ἔχοντα καὶ φοινικίδ' ὀξεῖαν πάνυ; [Aristot.] Physiognom. 806 b 3 αἱ μὲν οὖν χροιαὶ σημαίνουσιν αἱ ὀξεῖαι θερμὸν καὶ ὕφαιμον, opponuntur αἱ λευκέρυθροι. Chaeremon tragicus fr. 8 (p. 784 Nauck) purpureas rosas vocat ῥόδ' ὀξυφεγγῆ. — Neque minus proclive erat de tactu ad gustum progredi et vocem ὀξύς ad ea transferre, quae quasi laedunt linguam stomachumque; cf. vocem ὄξος Solon. fr. 39, 2; Aeschyli fr. 363 ὀξυγλύκειάν τἄρα κοκκιεῖς ῥόαν, Plat. Tim. 74 c ἐξ ὀξέος καὶ ἁλμυροῦ ξυνθεὶς ζύμωμα, alia exempla vetusta vide in indice ad Dielesii Antesocraticos v. ὀξύς. Apud Homerum talia non leguntur; sed num hunc usum nondum noverit, dubito. Certe vocem πικρός — etsi inversa fortasse ratione translatam — adhibet et de sagittis et de doloribus (v. s.) et de rebus linguae stomachoque acerbis, de radice quadam Λ 846, de ἅλμη ε 323[2]).

Restant praeter ea quae auribus obnoxia sunt nonnullae locutiones, quibus vox ὀξύς non significat qualitatem earum

---

1) Deinde sane etiam alia lumina tela emittunt, veluti apud Apoll. Rhod. 4, 883 Aurora ἄκρον ἔβαλλεν οὐρανόν, et Philodemus Anth. Pal. 5, 123, 2 σελήνη διὰ θυρίδων βαλλομένη, ubi Knaack non recte παλλομένη.

2) Plane similes vices passa est vox δριμύς, quae fuit 1) τορός acutus penetrans, veluti βέλος ὠδίνων Λ 270; 2) vehemens: μάχη Ο 696, χόλος Σ 322, ἄχος [Hes.] Scut. 457; 3) acerbus: καπνός qui τὠφθαλμὼ δάκνει Aristoph. Vesp. 146 (cf. Lys. 298), χυμός Aristot. de anima 2, 10 p. 422 b 13, οἶνος Lucian. merc. cond. 18.

rerum, quae sensibus cernuntur, sed modum ipsum sentiendi, locutiones dico ὀξὺ ὁρᾶν, ἀκούειν, νοεῖν sim. Veluti oculi ipsi lumine misso quasi telis sive acutis sive obtusis (ἀμβλὺ ὁρᾶν saepius apud Platonem, Aristotelem al.; Suidas ἀμβλυωπίας· ὁ ἀμυδρῶς ὁρῶν. ἀμβλυώττει· τυφλώττει; plura habet Prellwitz v. ἀμβλυωπής) res videntur corripere[1]); cf. Ξ 345 οὐδ' ἂν νῶι διαδράκοι Ἠέλιός περ, οὗ τε καὶ ὀξύτατον πέλεται φάος εἰσοράασθαι; cf. ὀξύτατον ὄμμα Pind. Nem. 10, 62; Ρ 675 αἰετός, ὅν ῥά τέ φασιν ὀξύτατον δέρκεσθαι ὑπουρανίων πετεηνῶν; cf. Ψ 477, hymn. 19, 14. Ulixes ε 392 ὀξὺ μάλα προϊδὼν - εἴσιδε γαῖαν; ὀξὺ βλέπειν Plat. Conv. 219 a. Proverbium est ὀξύτερον Λυγκέως βλέπει, cf. Paroem. App. 4, 30; cf. 31; praeterea cf. Aristoph. Lys. 1202, Plut. 1048. Aures nos quoque acuimus („spitzen"), et fortasse vocis ἀκροάομαι ex ακρουσιαομαι veriloquium est ἄκρον οὖς praebere (cf. Prellwitz s. v., qui confert ἀκούω et Latinum auscultare), cf. Soph. El. 30 ὀξεῖαν ἀκοὴν τοῖς ἐμοῖς λόγοις διδούς. Sic apud Homerum semel (Ρ 256) legitur ὀξὺ δ' ἄκουσεν Ὀιλῆος ταχὺς Αἴας. Saepe autem invenitur εἰ μὴ ἄρ' ὀξὺ νόησε (cf. Γ 374, Hes. Theog. 838), ubi celeritatis quoque notio videtur subesse, cf. ὠκύνοος Opp. Cyn. 1,37. Possis etiam vocem ἀγχίνοος conferre (quam cum ὀξύς coniungit Plato Theaet. 144 a, cf. Charm. 160 a, cum ταχύς Xen. Cyr. 1, 4, 3), i. e. homo praesentis animi, cf. ν 332 ἐπητής ἐσσι καὶ ἀγχίνοος καὶ ἐχέφρων.

Iam si ad vocem pergimus, iuvat auctoris ad Herenn. verba afferre 3, 12, 21: „acutas vocis exclamationes vitare debemus: ictus enim fit et volnus arteriae acuta atque attenuata nimis adclamatione et - splendor - consumitur. — Acuta exclamatio vocem volnerat; eadem laedit auditorem." Itaque primitus is sonus dicebatur ὀξύς, qui teli instar aurem laedit: vehemens, stridulus, crebris intervallis ruptus, repentinus. Omnibus his communis est ingrata quaedam inaequalitas, quae quidem non nisi in altiore vocis regione cernitur, sed etiam cum intentione quadam plerumque coniuncta est. Loci Homerici, ubi ὀξύς ad vocem pertinet, sunt hi: Χ 141 (κίρκος) ἐγγύθεν

---

1) Saepissime oculi comparantur cum stellis; iam Homerus eos vocat φάεα π 15 ρ 39 τ 417.

ὀξὺ λεληκὼς ταρφέ' ἐπαΐσσει (μετὰ τρήρωνα πέλειαν), ἑλέειν τέ ἑ θυμὸς ἀνώγει. En habes sonum non tam altum quam raucum ac vehementem; nos: „mit scharfem, schrillem Gekrächze"; cf. Soph. Ant. 112 ὀξέα κλάζων ἀετός. B 222 ὀξέα κεκληγὼς Thersites λέγ' ὀνείδεα Agamemnoni. Scilicet non iucunda neque canora fuit vox illius qui αἴσχιστος ἀνὴρ ὑπὸ Ἴλιον ἦλθεν, praesertim irati atque vehementer in reges invehentis. Eadem verba significant clamorem pugnantium: M 125 τοὶ δ' ἅμ' ἕποντο ὀξέα κεκλήγοντες, Troiani sperantes Graecos non iam posse resistere summo cum clamore portas irrumpunt. P 88 Hector

βῆ δὲ διὰ προμάχων κεκορυθμένος αἴθοπι χαλκῷ,
ὀξέα κεκληγώς, φλογὶ εἴκελος Ἡφαίστοιο
ἀσβέστῳ· οὐδ' υἱὸν λάθεν Ἀτρέος ὀξὺ βοήσας.

Y 51 αὖε δ' Ἄρης ἑτέρωθεν, ἐρεμνῇ λαίλαπι ἶσος,
ὀξὺ κατ' ἀκροτάτης πόλιος Τρώεσσι κελεύων,

cf. Soph. El. 737 (etiam nostrum „schneidig"), cf. praeterea ὀξεῖα ἀυτή O 312. Restat locus C 71, ex quo nonnulli parum dextere concluserunt iam Homerum opposuisse voces ὀξύς et βαρύς; sed praeterquam quod absurdum esset in tali condicione notare discrimen quod est inter viri mulierisque vocem, videbimus hic βαρύ omnino non esse soni qualitatem:

τῷ (Achilli) δὲ βαρὺ στενάχοντι (de Patroclo mortuo) παρίστατο πότνια μήτηρ,
ὀξὺ δὲ κωκύσασα (schrill aufschreiend) κάρη λάβε παιδὸς ἑοῖο,
καί ῥ' ὀλοφυρομένη ἔπεα πτερόεντα προσηύδα.

Quos locos si comparamus, efficitur omnibus depingi vehementem animi motum, praedae cupiditatem summopere excitatam, pugnandi ardorem, luctus maerorisque puncturam. In talibus condicionibus vox fit rauca, stridula, penetrans acumine, iniucunda, plerumque etiam magna, praecipue autem altior („höher"). Nam affectu commoti vocem tollimus, ita ut et maior fiat et elatior. Sic omnibus quos attuli locis (ut aves mittamus) hominum vox altitudine eam excedit regionem, intra quam sermo solet se continere. Notandum autem est in Odyssea vocem ὀξύς non usurpari de sonis.

Ceterum ea loquendi ratio, qua ὀξύς ad vocem devenit,

etiam in nonnullis aliis locutionibus apparet. Acumen vocis laedit aurem. Item vox σμερδαλέος (cf. Ebeling et Prellwitz s. v.) cohaeret cum Latino mord-eo et vernaculo smerz-. Cμερδαλέος dicitur χαλκός M 464 N 192, ἀορτήρ λ 609, αἰγίς Φ 401, δράκων B 309 sim. Deinde dicitur de visu X 95 σμερδαλέον δέδορκεν, et de sono non tam acuto quam vasto, terribili, immani, cf. Π 277 ἀμφὶ δὲ νῆες σμερδαλέον κονάβησαν ἀυσάντων ὑπ' Ἀχαιῶν, cf. O 648 B 466 ρ 542; C 35 σμερδαλέον ᾤμωξεν, ι 395 σμερδαλέον μέγ' ᾤμωξεν, T 399 ἵπποισιν ἐκέκλετο, σμερδαλέα ἰάχων E 302 saepe, σμερδαλέα κτυπέων H 479, σμερδνὸν βοόων O 687, 732. In hac igitur locutione non solum magnitudo vocis inest, sed etiam immanitas quaedam hominem fere excedens, similiter in adverbio δεινόν, cf. Δ 420 Λ 10. Magnitudo vocis ab Homero duobus exprimitur modis, quorum praecipue alter mansit per omnia tempora, adverbia dico μακρόν sive μακρά et μέγα sive μεγάλα. Μακρὸν ἀύειν proprie est ita vociferari, ut in amplum spatium audiatur, „weithin", cui locutioni similis est altera διαπρύσιον ἀύειν „durchdringend rufen", cf. Θ 227 ἤυσεν δὲ διαπρύσιον Δαναοῖσι γεγωνώς[1]). Quid μακρόν notet in sonis, apparet ex his: Z 66 Νέστωρ δ' Ἀργείοισιν ἐκέκλετο μακρὸν ἀύσας (saepe); N 413 Δηίφοβος δ' ἔκπαγλον ἐπεύξατο μακρὸν ἀύσας; Γ 81 αὐτὰρ ὁ μακρὸν ἄυσεν ἄναξ ἀνδρῶν Ἀγαμέμνων, E 101 (et saepius) τῷ δ' ἔπι (i. e. adversario vulnerato) μακρὸν ἄυσε; item

1) διαπρύσιος (sive ad διά et radicem περ- recedit sive ad διαπρό „sich weithin erstreckend", cf. Prellwitz s. v., qui comparat πρύτανις) dicitur πρών (P 748) qui ἰσχάνει ὕδωρ, πεδίοιο διαπρύσιον τετυχηκώς i. e. per totam planitiem in transversum porrectus, praeterea κεραϊστής h. Merc. 336, „qui omnia perforat", denique ὀλολυγαί h. Ven. 19. Hae voces, usu detritae, paulatim etiam de sonis minus turbulentis nuncupari sunt coeptae, ut etiam ὀξύς et βαρύς (v. i.). Sic h. Ven. 80 legimus διαπρύσιον κιθαρίζων, sicuti poeta hymni in Merc., ioco fortasse, de lyra dixit (54, 420) σμερδαλέον κονάβησε. — Acumen et magnitudinem vocis significat vox διάτορος penetrans, quae postea ad sonum pervenit, cf. Aesch. Prom. 76 ἐρρωμένως νῦν θεῖνε διατόρους πέδας (schol. τὰς διαπειρούσας καὶ τιτρωσκούσας), Pind. Pyth. 4, 147 χαλκοτόροις ξίφεσιν. — Aesch. Eum. 567 διάτορος Τυρσηνικὴ σάλπιγξ, cf. Arist. Thesm. 986 τόρευε πᾶσαν ᾠδήν ubi falso nonnulli τόρνευε, et Pac. 381 ubi coniungitur λακήσομαι. Praeterea cf. Lucian. Gall. c. 1, Plut. Mor. 303 e, Suid. v. διάτορος, Et. Magn. 269, 28.

puellae pila in mare iacta ζ 117 αἱ δ' ἐπὶ μακρὸν ἄυσαν. Minerva Υ 50 inter pugnantes deos μακρὸν ἀύτει. Pluralis μακρά sensu non differt, cf. Β 224 C 580, hymn. Merc. 280, Cum haec locutio postea obsoleverit — μακρός enim postea notavit longitudinem sonorum, syllabarum (cf. tamen Arist. Av. 1207 οἰμώξει μακρά) —, vox μέγας semper apud Graecos significavit magnam vocem: μεγάλῳ ἀλαλητῷ (mit lautem Geschrei) milites manus conseruerunt Μ 138 Ξ 393, cf. ω 463. Ο 384 Τρῶες μεγάλῃ ἰαχῇ κατὰ τεῖχος ἔβαινον; Φ 387 (θεοὶ) σὺν δ' ἔπεσον μεγάλῳ πατάγῳ; Ξ 4 μείζων δὴ παρὰ νηυσὶ βοὴ θαλερῶν αἰζηῶν; Γ 221 de Ulixe ἀλλ' ὅτε δὴ ὄπα τε μεγάλην ἐκ στήθεος εἵη; Φ 256 fluvius ὄπισθε ῥέων ἕπετο μεγάλῳ ὀρυμαγδῷ, cf. Φ 9. Saepissime apud Homerum occurrunt adverbia μέγα et μεγάλα : μέγα ἰάχουσι milites Ρ 317 saepe, etiam singuli Ρ 213, Venus Ε 343 μέγα ἰάχουσα ἀπὸ ἕο κάμβαλεν υἱόν; C 29 Patroclo mortuo (δμωαὶ) θυμὸν ἀκηχέμεναι μεγάλ' ἴαχον; Θ 75 Iupiter μεγάλ' ἔκτυπε; μ 60 κῦμα μέγα ῥοχθεῖ; Ξ 394 οὔτε θαλάσσης κῦμα τόσον βοάει ποτὶ χέρσον -, οὔτε πυρὸς τόσσος γε πέλει βρόμος αἰθομένοιο - οὔτ' ἄνεμος τόσσον γε περὶ δρυσὶν ὑψικόμοισιν ἠπύει -, ὅσση ἔπλετο φωνή. — Opponitur vox exigua Ω 170 προσηύδα τυτθὸν φθεγξαμένη; ξ 492 φθεγξάμενος δ' ὀλίγῃ ὀπί με πρὸς μῦθον ἔειπεν. Non opus est plura afferre; neque hic usus umquam mutatus est.

Hucusque eas vocis qualitates tractavimus, quae quasi tendunt in magnitudinem, quippe quae coniunctae sint cum vehementi motu animi. Quibus quodammodo oppositae sunt voces λιγύς sive λιγυρός, λιγύφωνος sim., quae nunc erunt explicandae, ut vocis ὀξύς fines magis appareant. Nam in antiquissima Graecorum poesi stirps ὀξύς omnino non nuncupatur de sonis iucundis, claris, canoris, musicis; sed si talia volunt describere poetae, addunt adi. λιγύς sim. Cuius vis accurate exponitur ab [Aristotele] de audib. p. 804 a 21: λιγυραὶ δ' εἰσὶ τῶν φωνῶν αἱ λεπταὶ[1]) καὶ

---

1) cf. C 570 λίνον δ' ὑπὸ καλὸν ἄειδεν λεπταλέῃ φωνῇ (cui quodammodo opponitur θαλερὴ φωνή Ρ 696 saepius). Soph. Ichneut. 321 Hunt chorus de ignoto lyrae sonitu dicit: οψάλακτός τις ὀμφὰ κατοιχνεῖ τόπου, πρεπτὰ ⟨δ' αὖ⟩ διὰ τόνου φάσματ' ἔγχωρ' ἐπανθεμίζει, ubi

πυκναί, καθάπερ καὶ ἐπὶ τῶν τεττίγων καὶ τῶν ἀκρίδων καὶ αἱ τῶν ἀηδόνων, καὶ ὅλως ὅσαις λεπταῖς οὔσαις μηθεὶς ἀλλότριος ἦχος παρακολουθεῖ. ὅλως γὰρ οὐκ ἔστιν οὔτ' ἐν ὄγκῳ φωνῆς τὸ λιγυρόν, οὔτ' ἐν τόνοις ἀνιεμένοις καὶ βαρέσιν, οὔτ' ἐν ταῖς τῶν φθόγγων ἁφαῖς, ἀλλὰ μᾶλλον ὀξύτητι καὶ λεπτότητι καὶ ἀκριβείᾳ. Tria igitur insunt in hac vocis qualitate: ὀξύτης (cf. οὔτ' ἐν τόνοις ἀνιεμένοις καὶ βαρέσιν), quae quidem ex posteriorum usu posita significat altitudinem, deinde λεπτότης (cf. οὔτ' ἐν ὄγκῳ φωνῆς i. e. abest crassum illud nescioquid et pingue), tertium ἀκρίβεια (cf. οὔτ' ἐν ταῖς τῶν φθόγγων ἁφαῖς et ὅσαις - μηθεὶς ἀλλότριος ἦχος παρακολουθεῖ[1]), cf. Bonitz Ind. Aristot. v. λιγυρός). Itaque huic voci commune est cum ὀξείᾳ, quod utraque non potest proferri nisi in altitudine quadam; interest inter utramque, quod acutae deest clarum illud atque simplex (τὸ ἀκριβές) et canorum[2]), in altera minus inest vehementiae. Sic apud Homerum λιγύς, λιγυρός sim. saepe cum laude adhibentur. Clara vox oratoribus tribuitur[3]): Τ 81

Murray ὀ⟨ρθο⟩ψάλακτος, collato v. 249. Sed desideratur ψαλάγματος (cf. Lycophr. 139 ψαλάξεις εἰς κενὸν νευρᾶς κτύπον, Ael. H. a. 3, 18) qualitas, veluti λεπτοψάλακτος.

1) cf. Plat. Phil. 51 d: dico ex vocibus τὰς λείας καὶ λαμπράς, τὰς ἕν τι καθαρὸν ἱείσας μέλος, οὐ πρὸς ἕτερον καλὰς ἀλλ' αὐτὰς καθ' αὑτὰς εἶναι, καὶ τούτων συμφύτους ἡδονὰς ἑπομένας.

2) cf. Theognid. 939 οὐ δύναμαι φωνῇ λίγ' ἀειδέμεν ὥσπερ ἀηδών (cf. [Aristot.] l. l.),
καὶ γὰρ τὴν προτέρην νύκτ' ἐπὶ κῶμον ἔβην.

3) cf. Γ 150 (δημογέροντες) γήραϊ δὴ πολέμοιο πεπαυμένοι, ἀλλ' ἀγορηταὶ
ἐσθλοί, τεττίγεσσιν ἐοικότες, οἵ τε καθ' ὕλην
δενδρέῳ ἐφεζόμενοι ὄπα λειριόεσσαν ἱεῖσιν.

τέττιγες sunt λιγυροί ([Aristot.] l. l.) et in proverbiis in cantorum exemplum abierunt, cf. Pratinam apud Athen. 14, 633 a (Becker De Pratina, diss. Monast. 1912 p. 51, cuius vide notam) Λάκων ὁ τέττιξ εὔτυκος ἐς χορόν, Simonid. fr. 173, Theocrit. 1, 148. Metaphora de liliorum fulgore sumpta commendat eorum opinionem, qui stirpem λιγ- ad splendorem referunt, cf. Ebeling v. λιγύς. Frequens est apud veteres ut omnibus temporibus translatio de iis quae oculis cernuntur ad ea quae audiuntur, aut vice versa. Ita saepius occurrit φωνὴ λευκή, cf. Graf De Graecorum musica 1889 p. 34; etiam φαιή, cf. [Arist.] de audib. 802 a 1. Herodotus 6, 60 λαμπροφωνίην deside-

ἀνδρῶν δ' ἐν πολλῷ ὁμάδῳ πῶς κέν τις ἀκούσαι
ἢ εἴποι; βλάβεται δὲ λιγύς περ ἐὼν ἀγορητής.

Menelaus solet pauca tantum loqui (Γ 214), ἀλλὰ μάλα λιγέως; Nestor audit λιγὺς Πυλίων ἀγορητής Α 248 Δ 293. κήρυκες sunt λιγύφθογγοι Β 50, 442 Ι 10 Ψ 39 β 6. Praeterea ventorum sonus est λιγύς, numquam ὀξύς (nam ὀξὺς νότος Soph. Ai. 258 et ἀκρ-αής aquilo Ξ 253 sqq. sive favonius β 421 nihil ad sonum), id quod bene utriusque vocis demonstrat discrimen. Ventorum enim stridor non vulnerat et pungit aurem, sed longo magis ululatu fertur et simili quodam tenore, id quod in Odyssea poeta semel (κ 20) exprimit voce βύκτης : βυκτάων ἀνέμων, i. e. quasi bucina sonantium; nam ab eadem stirpe derivantur βυκάνη et βυκανάω (cf. Prellwitz v. βύκτης). Sic λιγύ etiam πνεῖ Zephyrus Elysium leniter adflans δ 567; praeterea cf. Ν 334 Ξ 17 Ο 620 γ 176, 289 δ 357 Ν 590 Ψ 215, 218. Stridulum flagellum vocatur μάστιξ λιγυρή Λ 532. In Iliade vox λιγύς de sonis musicis dicitur duobus tantum locis, quos inter recentiores numerant viri docti: Ι 186 legati Achillem εὗρον φρένα τερπόμενον φόρμιγγι λιγείῃ, et in scuto Achillis inter virgines πάις φόρμιγγι λιγείῃ ἱμερόεν κιθάριζε (Σ 569). Quod epitheton lyrae saepe legitur in Odyssea, θ 67 al. Circe λίγ' ἄειδεν κ 254, item Sirenes λιγυρὴν ἔντυνον ἀοιδήν μ 183, 44. Novem Musae Achillem mortuum deflent, ita ut lacrimas nemo possit retinere: τοῖον γὰρ ὑπώρορε μοῦσα λίγεια ω 62. Secuti sunt hymnorum poetae: Musa ipsa in advocatione audit λίγεια hymn. 14, 2; 17, 1; 20, 1; cf. Alcmanis fr. 1, 1 Μῶσ' ἄγε Μῶσα λίγεια πολυμμελές. Nymphae sunt λιγύμολποι hymn. 19, 19, delectant λιγυρῇσι μολπαῖς ib. 24. Mercurius λιγέως κιθαρίζων γηρύετ' ἀμβολάδην hymn. Merc. 425, ibidem 478 lyra vocatur Apollinis εὔμολπος λιγύφωνος ἑταίρη, et hymn. 21, 1 κύκνος ὑπὸ πτερύγων λίγ'

---

rari dicit in praecone; cf. [Hippocrat.] de arte vol. 1 p. 21 in. Kühn; [Aristot.] de audib. 801 b 25 saep.; Demosth. 18, 313 quem affert Pollux 2, 111; Sophocles O. R. 187 παιὰν δέ inquit λάμπει στονόεσσά τε γῆρυς ὅμαυλος quocum Erfurdtius (apud Dindorfium Lex. Soph. v. ὅμαυλος) comparat Bacchylid. fr. 4, 17 Blass. Adde Pind. Ol. 9, 22, Aesch. Pers. 395. „candida vox" Quintil. 11, 3, 15; „splendida" saepius, etiam „fusca", cf. Causeret Étude sur la langue de la rhétorique et de la critique littéraire dans Cicéron, Paris, 1886 p. 202.

ἀείδει. Videmus adiectivum λιγύς in epitheton cantus clari gratique sensu peculiari carens magis magisque converti.

Optime autem huius et vocis ὀξύς cernitur necessitudo nonnullis locis Homericis comparatis, quibus primo obtutu nullum videtur interesse discrimen inter utramque vocem, sed tamen interest. Χ 141 κίρκος ὀξὺ λεληκώς palumbem captat, contra Τ 350 Minerva de caelo devolat ἅρπῃ ἐικυῖα τανυπτέρυγι λιγυφώνῳ, et Ξ 290 Somnus considit in ramis ὄρνιθι λιγυρῇ ἐναλίγκιος, ἥν τ' ἐν ὄρεσσιν χαλκίδα κικλήσκουσι θεοί, ἄνδρες δὲ κύμινδιν. Itaque λιγύφωνος, λιγυρός notant qualitatem quae semper inest in voce avis; sed τὸ ὀξύ accedit affectus vehementia. Item Thetis C 71 ὀξὺ κωκύσασα κάρη λάβε παιδὸς ἑοῖο, contra Briseis Τ 284 ἀμφ' αὐτῷ (Patroclo) χυμένη λίγ' ἐκώκυε, χερσὶ δ' ἄμυσσεν στήθεα, cf. δ 259 θ 527. Hic τὸ ὀξύ describit primum vehementissimum clamorem (Aufschrei) subito erumpentem (nota aoristum), in τῷ λιγεῖ inest fletus effusus et longa lamentatio (nota imperfectum). Quod probatur reliquis exemplis Τ 5 κ 201 λ 391 φ 56 π 216. Quodsi postea Aeschylus Pers. 468 scripsit ἀνακωκύσας λιγύ, ostendit synonyma inter se contaminari (neque Homerus κωκύειν dixit de viris, cf. epigr. 14, 12). Itaque τὸ ὀξύ semper et ubique cum affectu coniunctum altiores etiam describit voces quam τὸ λιγύ, praeterea vehementes, subitas, impetuosas, usitatum modum excedentes, cum illud simplicem sonum atque canorum notet et magis magisque pro epitheto ornanti poni consuescat.

Hactenus de Homero. Plane eadem res est in Hesiodo eiusque sectatoribus. Voces ὀξύς et λιγύς coniunguntur Scut. 231: ἐπὶ δὲ χλωροῦ ἀδάμαντος βαινουσέων (Gorgonum) ἰάχεσκε σάκος μεγάλῳ ὀρυμαγδῷ ὀξέα καὶ λιγέως. Vox ὀξύς dicitur de equorum hinnitu v. 348 (cf. Hippocrat. de morbo sacro I p. 592 Kühn), de mulieribus mortuum deflentibus v. 243 γυναῖκες - ὀξὺ βόων; vox λιγύς de cicada Op. 583 λιγυρὴν καταχεύετ' ἀοιδήν, quod imitatur Alcaeus fr. 39, 4 τέττιξ-κακχέει λιγύραν ἀοίδαν, de Hesperidum voce Theog. 518, 275, de sonis musicis [Op. 659], Scut. 206, 278.

Iam si quaerimus, quomodo post Homerum ὀξύς pervenerit ad sonos harmonicos, meminerimus oportet temporibus Olympi

et Terpandri Graecorum musicam totam esse mutatam, ne dicam denuo conditam. Tum non sine novis istis religionibus Magnae Matris Bacchique invasit Musa affectuum stimulis excitata, utque in nostra quoque arte musica identidem factum est et adhuc fit, hominum aures sensim assuefecit iis quos antea vehementer repudiaverant sonis canendique modis. Tum innotuerunt novae atque inauditae harmoniae, Phrygia atque Lydia, quarum alterius proprius erat furor bacchicus, alterius nenia omnisque effusa tristitia (cf. Abert Die Lehre vom Ethos in der griech. Musik 1899 p. 98 et passim). Postquam Olympus tibias novis modis locupletavit, Terpander citharae chordarum auxit numerum, quarum altiores initio multis Graecis fuisse acutiores quam gratiores consentaneum est. Nam acumen inusitatum aurem teli instar laedit atque vulnerat. Atque inter Terpandri nomos citharodicos est νόμος ὀξύς (quod nomen notat et acumen et affectus vehementiam), cf. Plut. de mus. cap. 4 ἐκεῖνος γοῦν (sc. Τέρπανδρος) τοὺς κιθαρῳδικοὺς πρῶτος ὠνόμασε - τροχαῖόν τε καὶ ὀξύν. Causam nominis docet Pollux 4, 65 (cf. Volkmannum ad loc. Plutarchi, Bethium ad loc. Pollucis, Ianum ad [Aristot.] Probl. 19, 37, Musici Gr. p. 98): νόμοι δὲ οἱ Τερπάνδρου - ἀπὸ ῥυθμῶν ὄρθιος καὶ τροχαῖος, ἀπὸ δὲ τρόπων ὀξὺς καὶ τετραοίδιος. Ad τετραοίδιον post Burettum iam Boeckhius De metr. Pind. p. 251 contulit, quae Plutarchus c. 8 narrat de Sacadae νόμῳ τριμελεῖ, cf. Volkmann ad c. 8; τρόπος apud musicos plerumque significat transpositum systema [1]), sed etiam diapason speciem [2]). Sed sive propter transpositum systema sive propter diapason speciem vocabatur acutus, cantus tendebat in altitudinem (id quod iam Burettus statuit, cf. Volkmann ad Plut. c. 4). Praeterea eum tristem fuisse atque lugubrem Aeschylus docet eximia imagine Sept. 953 τελευταῖαι δ' ἐπηλάλαξαν Ἀραὶ τὸν ὀξὺν νόμον et Choeph. 820 δωμάτων

---

1) cf. Ian ad Ps.-Aristot. Probl. 19, 38 p. 99, cuius de voce testimonia valde possunt augeri; in universum cf. etiam Pind. Ol. 14, 15 (et schol. I 393, 12 Dr.), Aristoxeni Rhythm. Elem. § 8 Westphal, Dionys. Hal. de comp. p. 85 ex. U.-R., Varron. apud [Serg.] de accent. p. 532, 19 Keil, Venant. Fortun. 10, 9, 54 et 11, 4.

2) cf Marquard ad Aristoxeni sui p. 52, 30.

λυτήριον θῆλυν οὐριοστάταν ὀξύκρεκτον[1]) γοατὰν νόμον. Unde concludas Terpandri nomum acutum compositum fuisse Lydia harmonia, quae et lugubris fuit et acuta, cf. Plut. c. 15 τὴν Λύδιον ἁρμονίαν παραιτεῖται (sc. Plato, cf. Rp. 398 sq.), ἐπειδὴ ὀξεῖα καὶ ἐπιτήδειος πρὸς θρῆνον· ᾗ καὶ τὴν πρώτην σύστασιν αὐτῆς φασι θρηνώδη τινὰ γενέσθαι, et Telestis fr. 5, 4 τοὶ δ' ὀξυφώνοις πηκτίδων ψαλμοῖς κρέκον Λύδιον ὕμνον. Affectuum igitur vehementia a vetustissimis cantilenis aliena et una tenuissimarum chordarum stridor ipse quoque prioribus ignotus iam notabantur vocabulo ὀξύς (nam nomum acutum fuisse citharodicum inter veteres constat). Deinde haec vox postquam semel musicam intravit — scilicet non dixerim hoc ipso illo nomo esse factum, tamen interim hoc primum est eius rei testimonium —, sensim coepta est de canoris quoque atque iucundis nuncupari sonis, cuius rei admodum pauca tantum manserunt vestigia. Veluti cum apud plerosque poetas luscinia dicatur λιγύφθογγος (cf. Aesch. Ag. 1146, Soph. O. C. 671, Aristoph. Av. 1381, Theognid. 939), legimus Soph. Trach. 963 προύκλαιον ὀ ξ ύ φωνος ὡς ἀηδών, quod cogitari nequit in Homero[2]); cf. Ant. 424, Babr. 12, 3; 19, Becker De Pratina, diss. 1912 p. 72; et Aristophanes Av. 1095 cantum cicadae veteribus magis quam nobis acceptum vocat ὀξὺ μέλος. Scilicet in hac voce post Terpandrum notio vehementiae paulatim cessit altitudinis, id quod eo facilius fieri potuit, quod cum ipsa altitudine in sonis musicis vehementia quaedam coniuncta est (v. i. et Stumpf Tonpsychologie I 203; 365; 367). Semper quidem vis primaria aliquatenus conspicua fuit; quin etiam ipsis musicis τὸ βαρύ videbatur γενναιότερον quam τὸ ὀξύ (sic [Aristot.] Probl. 19, 33), sed e x q u o c o n i u n g i t u r c u m v o c e βαρύς, u b i c u m q u e a g i t u r d e v o c i b u s m u s i c i s, τὸ ὀξύ m e r a m

---

1) Locutio ὀξύκρεκτος bene quadrat in nomum citharodicum; nam κρέκειν primitus dicebantur ii qui chordas plectro pulsant, cf. C. von Jan Die griech. Saiteninstrumente 1882 p. 13 et adn. 93. Ad κρέκειν praeterea cf. Diogen. tragicum 1, 10 p. 777 Nauck, Sophoclis fr. 425, Telestis fr. 5, 4.

2) nota verbum προύκλαιον quod facile adduxit epitheton ὀξύφωνος, sed cf. τ 518 sqq.

significat altitudinem soni. Neque umquam Graeci eam vocis regionem quae posita est in altitudine (die Tonhöhe) aliter significaverunt atque his duabus vocibus coniunctis. Quod ut demonstretur, iam opus est vocis βαρύς quoque vim atque vices ab initio describere.

Vox βαρύς significat quidquid pondere premit, gravat: cf. Hom. Θ 308 κάρη πήληκι βαρυνθέν, Λ 96 στεφάνη χαλκοβάρεια, Ο 465 ἰὸς χαλκοβαρής (cf. φ 423), μελίη χαλκοβάρεια Χ 328 χ 259, 276, δόρυ χαλκοβαρές λ 532. Saepe in Iliade occurrit χεὶρ βαρεῖα, praesertim de impetu aggredientis sive telum mittentis, cf. Α 89: nemo σοὶ κοίλης παρὰ νηυσὶ βαρείας χεῖρας ἐποίσει. Hesychius βαρείας explicat ἰσχυράς, βλαβεράς, Et. Magn. 188, 35 ὑβριστικάς, φονικάς, ὅπλῳ βεβαρημένας (sic etiam schol. T ad vers. l.). Poeta significat manum robustam, firmam, quae sive ipsa sive pondere gravata premit aliquid, quam gravem esse aliquo modo sentimus ipsi aut plerumque alii, cf. Λ 235 (= Ρ 48) νύξ', ἐπὶ δ' αὐτὸς ἔρεισε βαρείῃ χειρὶ πιθήσας, et schol. ABT ad Ρ 48: βαρεῖαν δὲ χεῖρα τὴν μετὰ βίας ἐρείδουσαν τὸ δόρυ φησίν. Similiter Ν 410 οὐδ' ἅλιόν ῥα βαρείης χειρὸς ἀφῆκεν (ἔγχος) et Ψ 686 χερσὶ στιβαρῇσιν ἅμ' ἄμφω σύν ῥ' ἔπεσον, σὺν δέ σφι βαρεῖαι χεῖρες ἔμιχθεν; cf. Α 219. Ε 81 ἀπὸ δ' ἔξεσε χεῖρα βαρεῖαν dictum est de bracchio, quod de trunco amputatum graviter decidit. Praeterea βαρύνω legitur de membro vulnerato teloque inhaerente onusto: Ε 664 (Σαρπηδόνα) ἐξέφερον πολέμοιο· βάρυνε δέ μιν δόρυ μακρὸν ἑλκόμενον, Λ 584 καί μιν βάλε μηρὸν ὀιστῷ δεξιόν· ἐκλάσθη δὲ δόναξ, ἐβάρυνε δὲ μηρόν, Υ 480 χεῖρα βαρυνθείς de manu motu impedita. Quidquid grave, ponderosum est, id motum inhibet, fatigat; quare fit, ut ipsa fatigatio quasi onere effici putetur, cf. [Hippocrat.] περὶ διαίτης ὀξέων I p. 167, 9 Kühlew. γουνάτων βάρος ἢ σώματος ὄγκος. Praeiverunt talia: ε 321 εἵματα - ἐβάρυνε nantem Ulixem, i. e. et premunt et fatigant, cf. Batrachom. 91. Sic βαρύνω saepe idem est quod fatigo, ut Τ 165 impransorum in pugna λάθρῃ γυῖα βαρύνεται; cf. Aristoph. Ach. 220, Eurip. Alc. 385. Item vinolentia membra gravat et motum inhibet, cf. οἰνοβαρής Α 225 saepius.

Porro quidquid onere premit, iniucundum est, aegre

fertur, ita ut βαρύς mox significet omne molestum[1]). Etiam hic dolores quidam corporis, qui motum plerumque inhibent ut onus, praeivisse sunt putandi, cf. Plat. Charm. 155 b de capitis dolore βαρύνεσθαι τὴν κεφαλήν. Sic apud Hom. E 417 ἄλθετο χείρ, ὀδύναι δὲ κατηπιόωντο βαρεῖαι, et Pindarus Pyth. 5, 63 de gravibus morbis. Sequitur quidquid animum premit: πένθος Pind. Ol. 2, 25, πάθα Pyth. 3, 42, κακότης K 71, θανάτοιο κῆρες Φ 548, κλῶθες βαρεῖαι de Parcis η 197, ἄτη B 111: ἄτη ἐνέδησε βαρείῃ, cf. I 18 ο 233, multa alia, quae longum est afferre. Denique huc pertinet locutio βαρὺ στενάχων sim. (βαρὺ στενάχων A 364 saepius, βαρέα στενάχοντα Θ 334 saepius, βαρὺ στενάχοντος θ 95, 534, στενάχοντι C 70), quae est „ex presso corde graviter suspirare“, „schwer aufseufzen“.

Deinde si pergimus ad sonos, consentaneum est ibi quoque subesse ponderis cuiusdam similitudinem. Revera ubicumque apud antiquissimos poetas vox βαρύς ad aures pertinet, describitur vastus atque immanis quidam sonus, qui ad ingens sive animal sive rem redit et immanitate quasi premit aures. Sic Ulixis sodales trepidant Polyphemi δείσαντες φθόγγον τε βαρὺν αὐτόν τε πέλωρον (ι 257); verborum iunctura ostendit βαρύν de sono idem praedicare quod de figura πέλωρον (cf. etiam N 521 βρι-ήπυος ὄβριμος Ἄρης). Quae opinio ea re confirmatur, quod ante Lasum (v. i.) βαρύς non dicitur nisi de tonitru aut mari aut tempestatibus aut beluis; sic legimus πὰρ Ζηνὶ βαρυκτύπῳ Hes. Theog. 388, cf. Op. 79, Scut. 318, Semonid. fr. 1, 1, hymn. Cer. 3, 334, 441, 460, Pind. Ol. 6, 81; 8, 44, Pyth. 6, 24, Soph. Ant. 1117, Eur. Hipp. 1202, Phoen. 182, Aristoph. Av. 1750. De tempestate Anacreon 6, 3 βαρὺ δ' ἄγριοι χειμῶνες παταγεῦσιν, cf. Pind. Pyth. 4, 210; de mari Hesiodus Theog. 818 (quem quidem versum eiciunt editores) βαρύκτυπος Ἐννοσίγαιος, cf. Pind. Nem. 4, 87, Ol. 1, 74 (et de Asopo Isthm. 8, 23); Bacchyl. 16, 76, Eur. Hel.

---

1) cf. ἄχθομαι: ο 457 νηῦς ἤχθετο τοῖσι νέεσθαι (navis onusta et parata erat ad reditum). E 354 ἀχθομένην ὀδύνῃσι, E 361 ἄχθομαι ἕλκος, Λ 274, 400 ἤχθετο κῆρ. Eodem modo postea translatae sunt voces ὄχλος et πιέζω. Praeterea cf. Romanorum molestum et vernaculum lästig.

1305, Aristoph. Nub. 278, 284. Leones vocantur βαρύφθογγοι hymn. Ven. (4) 159, cf. Pind. Pyth. 5, 57, Bacchylid. 8, 9 qui et tauros vocat βαρυαχέας 15, 18. Quae omnia versantur in graviore vocis regione, sed omnibus adhaeret immanitas quaedam naturam excedens, quam tamen paulatim usu detritam esse facile intellegitur. Accedit, quod voce βαρύς optime notantur omnia quae, sensuum indole adducti, gravibus sonis tribuimus, praecipue asperitas quaedam (cf. Stumpf Tonpsychologie I p. 203) et vastitas (ibid. p. 207) et lentitudo (ibid. p. 211 et 218). Sic hoc vocabulum mox in voce significavit depressum altitudinis gradum, cuius notionis antiquissimum testimonium ad nos pervenit fr. Lasi Hermionensis 1 p. 376 Bgk.: Δάματρα μέλπω-Αἰολίδ' ἀνὰ βαρύβρομον[1]) ἁρμονίαν, „Cererem cano Aeolico grave sonanti modo", neque ita multo post Pratinas 1, 12 sic invehitur in tibicinum lasciviam: φλέγε τὸν ὀλεσισιαλοκάλαμον λαλοβαρύοπα παραμελορυθμοβάταν θῆτα (sic Hartung, cf. Wilamowitz Sappho und Simonides p. 133, libri θυπα) τρυπάνῳ δέμας πεπλασμένον. Neque casu factum est, quod in nostra testimoniorum inopia τὸ βαρύ initio coniunctum invenitur cum tibiis, in quibus inerat crassitudo quaedam soni, ὄγκος qui Graece dicitur, contra τὸ ὀξύ tribuitur citharae, cuius sonus multo erat tenuior atque acutior, praecipue cum plectro pulsabatur. Fuerunt sane et lyrae

---

1) De voce βρόμος cf. Ξ 396 πυρὸς βρόμος αἰθομένοιο, quae huius stirpis primaria vis esse dicitur a schol. AD ad hunc l. et schol. D ad Δ 425. βρέμω ab Homero nuncupatur de unda a litore reiecta Δ 425 Β 210, cf. Eur. Hypsip. 41, 80 Hunt ἀκτὰς βαρυβρόμους, de vento Ξ 399, de lyra Soph. Ichn. 292 (cf. vocem φόρμιγξ quam etymologi componunt cum „fremo" et „brummen"), βρομέω de muscarum murmure Π 642. Praeterea cf. adi. ἐριβρεμέτης et ὑψιβρεμέτης. Hymn. Merc. 452 Apollo mihi cordi est, inquit, ἱμερόεις βρόμος αὐλῶν, quem Magnae Matri placuisse etiam maiore iure affirmat poeta hymni 14 v. 3. Saepe αὐλός vocatur βαρύβρομος, cf. Howard Harvard Studies 4, 38[2]. Aristophanes Nub. 311 sq. dicit Athenis celebrari haec: ἦρί τ' ἐπερχομένῳ Βρομία χάρις, εὐκελάδων τε χορῶν ἐρεθίσματα, καὶ Μοῦσα βαρύβρομος αὐλῶν. His si addis βαρύβρομα τύμπανα (Eur. Bacch. 156, cf. Diogenem tragicum p. 776 Nauck), en habes ea, a quibus Bacchus nomen accepit Bromius (idem vocatur ἐρίβρομος hymn. 7, 56 et 26, 1), cf. Becker De Pratina p. 74.

et tibiae cuiusvis sonorum regionis, cf. Gevaert Histoire et théorie de la musique de l'antiquité 2, 241 sqq., Ian Die griech. Saiteninstrumente p. 16 sqq., Howard Harvard Studies 4, 38 sqq., sed plerumque apud poetas αὐλοί vocantur βαρύβρομοι[1]), cf. Howard l. l.; adde Ion. fr. 42 p. 740 N.

Sed iam quaeritur, quomodo voces ὀξύς et βαρύς inter se coniunctae atque oppositae sint. Quem usum, quantum nos quidem assequimur, iam novit Heraclitus (apud Eudem. Eth. 1235 a 25, p. 61, 18 Diels[2]): οὐ γὰρ ἂν εἶναι ἁρμονίαν μὴ ὄντος ὀξέος καὶ βαρέος οὐδὲ τὰ ζῷα ἄνευ θήλεος καὶ ἄρρενος ἐναντίων ὄντων. Quem imitatur [Hippocrates] de victu 1, 18 (Diels Vors.[2] 84, 23): ἁρμονίης συντάξιες ἐκ τῶν αὐτῶν

1) cf. etiam βόμβυξ derivatum de stirpe βόμβος, de qua cf. Plat. Prot. 315 e: περὶ δὲ ὧν διελέγοντο οὐκ ἐδυνάμην ἔγωγε μαθεῖν ἔξωθεν, καίπερ λιπαρῶς ἔχων ἀκούειν τοῦ Προδίκου· πάσσοφος γάρ μοι δοκεῖ ἀνὴρ εἶναι καὶ θεῖος· ἀλλὰ διὰ τὴν βαρύτητα τῆς φωνῆς βόμβος τις ἐν τῷ οἰκήματι γιγνόμενος ἀσαφῆ ἐποίει τὰ λεγόμενα. Nos igitur Prodico tribueremus „einen dröhnenden Bass". βόμβυξ est tibia magna gravissimorumque capax sonorum, cf. Aeschyli Edonorum fr. 57, 3 σεμνὰ Κοτυτοῦς ὄργι' ἔχοντες, ὃ μὲν ἐν χερσὶν βόμβυκας ἔχων, τόρνου κάματον, δακτυλόδικτον πίμπλησι μέλος, Poll. 4, 82 τῶν δὲ βομβύκων ἔνθεον καὶ μανικὸν τὸ αὔλημα, πρέπον ὀργίοις (ubi Bethius affert Hesych. v. βόμβυκες et v. βόμβυξ), [Aristot.] de audib. 800 b 25 πάντα γὰρ τὰ τοὺς τραχήλους ἔχοντα μακροὺς φθέγγονται βιαίως, οἷον οἱ χῆνες καὶ γέρανοι καὶ ἀλεκτρυόνες. μᾶλλον δὲ τοῦτο καταφανές ἐστιν ἐπὶ τῶν αὐλῶν (ed. acad. αὐτῶν)· πάντες γὰρ χαλεπῶς πληροῦσι τοὺς βόμβυκας καὶ μετὰ συντονίας πολλῆς διὰ τὸ μῆκος τῆς ἀποστάσεως. Sed hic fortasse intelligenda est ea pars tibiarum, qua gravissimi soni eduntur (cf. Howard l. l.); cf. Poll. 4, 70; Varron. apud [Serg.] de accent. 532, 1 sqq.: „tibia tanto est voce acutiore quanto cavo angustiore, adeo ut corniculo aut bombycio (bamborio OL; speciosa coniectura bis inventa debetur Wilmannsio et Lentzio) addito gravior reddatur, quod crassior exit in aera." Sic βόμβυξ in tibiis est terminus gravium sonorum, cf. Aristot. Met. 1093 b 2 (λέγουσι δέ τινες) καὶ ὅτι ἴσον τὸ διάστημα ἔν τε τοῖς γράμμασιν ἀπὸ τοῦ ᾱ πρὸς τὸ ῶ καὶ ἀπὸ τοῦ βόμβυκος ἐπὶ τὴν ὀξυτάτην νεάτην ἐν αὐλοῖς; unde posteriores interdum omnino in sonis opposuerunt νητοειδές et βομβυκέστερον pro acumine et gravitate, cf. Nicomachi enchir. 256, 3 Ian saepius. Item cum tibiarum parte (cf. e. g. Riemann Handbuch der Musikgeschichte I 1 p. 98) cohaeret, quod Aristides Quint. saepius gravissimos sonos vocat τοὺς κοιλοτάτους, cf. p. 15, 18. 26; 16, 6 (ubi opponit τοῦ ὀξυτέρου); 59, 8.

οὐχ αἱ αὐταί· ἐκ τοῦ ὀξέος καὶ ἐκ τοῦ βαρέος, ὀνόματι μὲν ὁμοίων, φθόγγῳ δὲ οὐχ ὁμοίων. Heraclitus igitur acuminis et gravitatis discrimen composuit cum eo quod est inter utrumque sexum, et vocis discrimina optime cernuntur et quasi ipsa sese offerunt in viro et muliere, quod contrarium etiam inter Pythagoreorum primaria fuisse constat. Quin Pythagorei, qui in omnibus rebus analogia abusi sunt, in ipsis sonis genus masculinum et femininum agnoscere sibi visi sunt, id quod de Damone, Pythagoreorum in rebus musicis sectatore, narrat Aristides Quintilianus p. 58, 13 sqq. (cf. Seydel Symbolae ad harmoniae Gr. historiam, diss. Lips. 1907 p. 17 ex.): ἔτι (priora ut parum dilucida omitto) τῶν συστημάτων τὰ μὲν βαρύτερα τῷ τε ἄρρενι κατὰ φύσιν καὶ ἤθει κατὰ τὴν παίδευσιν πρόσφορα, τῇ πολλῇ καὶ σφοδρᾷ κάτωθεν ἀναγωγῇ τοῦ πνεύματος τραχυνόμενα, καὶ πλείονος ἀέρος πληγῇ διὰ τὴν τῶν πόρων εὐρύτητα τό τε γοργὸν δηλοῦντα καὶ ἐμβριθές, τὰ δ' ὀξέα τῷ θήλει, τῇ τοῦ περὶ τὰ χείλη καὶ ἐπιπολῆς ἀέρος πληγῇ διὰ λεπτότητα γοερά τε ὄντα καὶ ἐκβοητικά. Itaque imago sexus humani optime illustrabat necessitudinem vocum ὀξύς et βαρύς coniunctarum. Nam ut in viro sic in sonis gravibus cernitur magnitudo, robur, lentitudo (cf. Stumpf Tonpsychologie I 207 et 218), contra in acutis sicuti in mulieribus pernicitas, vehementia sim. Atque veteres inde a Pythagoreis gravibus tribuerunt et magnitudinem et lentitudinem, acutis sonis et parvitatem et celeritatem, etsi ab altera parte etiam in acuminis vehementia videbatur inesse vis et magnitudo quaedam. Quae illustrantur antiquissimis testimoniis τοῦ ὀξέος et βαρέος coniunctorum, ex quibus una apparebit has voces coniunctas nil significare nisi vocis altitudinem (Tonhöhe). Multum physici disputaverunt, ad quam causam naturalem revocandum esset acuminis et gravitatis discrimen. Pythagorei statuerunt interesse inter utrumque celeritatis vehementiaeque differentiam τῆς τοῦ ἀέρος πληγῆς, cf. Archytae fr. 1 p. 259, 7 Diels[2]: τὰ μὲν οὖν ποτιπίπτοντα ποτὶ τὰν αἴσθησιν ἃ μὲν ἀπὸ τᾶν πλαγᾶν ταχὺ παραγίνεται καὶ ⟨ἰσχυρῶς⟩, ὀξέα φαίνεται, τὰ δὲ βραδέως καὶ ἀσθενῶς, βαρέα δοκοῦντι ἦμεν. αἰ γάρ τις ῥάβδον λαβὼν κινοῖ νωθρῶς τε καὶ ἀσθενέως, τᾷ πλαγᾷ βαρὺν ποιήσει τὸν ψόφον· αἰ δέ κα ταχύ τε καὶ ἰσχυρῶς, ὀξύν. οὐ μόνον δέ κα

τούτῳ γνοίημεν, ἀλλὰ καὶ ὄκκα ἄμμες ἢ λέγοντες ἢ ἀείδοντες[1]) χρῄζομές τι μέγα φθέγξασθαι καὶ ὀξύ, σφοδρῷ τῷ πνεύματι φθεγγόμενοι ⟨veluti ἐξιζούμεθα, ὅκκα δὲ μικκὸν καὶ βαρύ, ἀσθενέι τῷ πνεύματι φθεγγόμενοι⟩. Archytas non accurate discernit acumen et magnitudinem, id quod facit Plato Tim. 67 b ὅλως μὲν οὖν φωνὴν θῶμεν τὴν δι' ὤτων ὑπ' ἀέρος ἐγκεφάλου τε καὶ αἵματος μέχρι ψυχῆς πληγὴν διαδιδομένην, τὴν δὲ ὑπ' αὐτῆς κίνησιν, ἀπὸ τῆς κεφαλῆς μὲν ἀρχομένην, τελευτῶσαν δὲ περὶ τὴν τοῦ ἥπατος ἕδραν, ἀκοήν· ὅση δ' αὐτῆς ταχεῖα, ὀξεῖαν, ὅση δὲ βραδυτέρα, βαρυτέραν· τὴν δὲ ὁμοίαν ὁμαλήν τε καὶ λείαν, τὴν δὲ ἐναντίαν τραχεῖαν· μεγάλην δὲ τὴν πολλήν, ὅση δὲ ἐναντία, σμικράν; cf. etiam Xenoph. Cyn. 6, 20 ἐγκελεύειν, τοὔνομα μεταβάλλοντα ἑκάστης τῆς κυνός, ὁποσαχῇ οἷόν τ' ἂν ᾖ τοὺς τόνους τῆς φωνῆς ποιούμενον, ὀξύ, βαρύ, μικρόν, μέγα. Acumen celeritate effici praeterea contendunt Plat. Politic. 306 c sqq., [Arist.] de aud. 801 a 6 sqq., Probl. 11, 6 p. 61, 5 Ian; 11, 16 p. 67, 1; 11, 56 p. 75, 15 multi alii. Aristoteles hoc fusius impugnat de anima 2, 8, 8 (a quo loco orsi sumus) et de animal. procreatione 5, 7, ubi etiam exponit, cur acumen, quamvis insit vehementia, edatur a mulieribus (cf. Probl. 19, 37 et Ian p. 44 sqq.); idem ibidem accuratius tractat acuminis et magnitudinis necessitatem. Sed haec nunc non opus est porro prosequi.

Tenemus enim voces ὀξύς et βαρύς sic coniunctas, ut et in cantu et in sermone significent altitudinis discrimen. Atque hoc discrimen melius notari omnino non potest, siquidem utraque vox praeter sonorum regionem etiam exprimit quidquid ad eam accedit. Nam cum acumine re vera coniuncta sunt tenuitas, celeritas, vehementia, exiguitas quaedam soni, contra cum gravitate crassitudo, lentitudo, magnitudo (cf. Stumpf locis ll.). Quod secus cecidisset, si discriminis illius nomina a musico quodam inventa atque opposita essent, ita ut evaderet contrarium polare q. d. (cf. nostrum „altum" et „depressum").

---

1) Nota hos physicos vocem generaliter tractare neque sermonis acumen et vehementiam discernere a cantus altitudine atque magnitudine, id quod gravissimum est ad accentus cognoscendos.

Sed vidimus utramque vocem suas vices passam esse, antequam coniunctae sunt. A qua locutione tamen omnino abest loci similitudo, secundum quam nostrae aetatis homines loquuntur de sonis altis et depressis (cf. Stumpf Tonpsych. I p. 189 sqq.). Sed eam in aliis sonorum vocabulis mox deprehendemus; nam eam quoque debemus antiquitati. Antea autem videndum erit, sitne in stirpe τόνος vehementia ea, quam ab acumine gravitateque coniunctis certe vidimus esse alienam.

De voce τόνος.

Omnium vocabulorum prosodiacorum stirps τόνος plurimas praebet difficultates. Nam praecipue in ea alteri apertam vim deprehendere sibi videbantur, alteri de chordis lyrae eam adhiberi ideoque altitudinem notare contendebant. Utrique recte, quare huius familiae historia quam accuratissime tractanda plurimisque illustranda erit exemplis, ita tamen ut musica vis tota segregetur a reliquis partibus. Et primum quidem explicandum erit, quaenam locutiones pendeant ex memoria funis nervique intenti, quae intentio et cum vehementia fit et plerumque res intentas expandit. Ubi peculiariter agendum erit de voce ἐντείνειν, ne ex iis locis, quibus haec vox translata occurrit, ultra imaginis rationem falso quid concludamus de soni qualitate aut quantitate. Deinde postquam nonnulla generaliter praefati erimus de tensionis incremento et laxatione, transeundum erit ad vocem et musicam et probandum, quomodo haec stirps de chordis intentis earumque sonis ad omnes sonos musicos pervenerit, ita ut τόνος omnino complecteretur ὀξύτητα et βαρύτητα. Sed ut hae voces non solum de sonis musicis adhibebantur, sic Aristoxenus etiam stirpem τόνος de cuiusvis soni altitudine nuncupavit, cuius locum gravissimum de vocis motu κατὰ τόπον ut accurate intellegamus, in universum quaerendum erit, quomodo Graeci in sonis loci et rerum extensarum similitudinem animadverterint (cf. nostrum „altum“ et „depressum“). Denique postquam viderimus τόνον etiam extra musicam meram altitudinem exprimere, exponendum erit, quatenus vehementiam et ictum in voce notaverit.

Verbum τείνειν primitus habet vim tendendi et dicitur

ab Homero de loris: ἡνία ἐξ ἄντυγος τείνειν Γ 261 saepius, ὑπ' ἀνθερεῶνος ὀχεὺς τέτατο τρυφαλείης ibid. 372; de arcu, ita ut τανύειν saepius usurpetur ab Homero de nervo κορώνῃ adaptando, τείνειν de sagitta cum nervo attracta, cf. Δ 112 καὶ τὸ μὲν εὖ κατέθηκε τανυσσάμενος ποτὶ γαίῃ ἀγκλίνας, ibidemque 124 αὐτὰρ ἐπεὶ δὴ κυκλοτερὲς μέγα τόξον ἔτεινεν (cf. Aesch. Ag. 364); φ 184 de procis οὐδὲ δύναντο ἐντανύσαι (τὸ τόξον). Similiter nervi hominis tenduntur quovis labore, unde stirps τεν- accepit notionem roboris, vehementiae, pertinaciae. Exprimit igitur, quidquid vi, fortitudine, studio et agit et agitur, cf. Pind. Pyth. 11, 54 ξυναῖσι δ' ἀμφ' ἀρεταῖς τέταμαι, Isthm. 1, 49 γαστρὶ δὲ πᾶς τις ἀμύνων λιμὸν αἰανῆ τέταται; Plat. Rp. 581 b ὅτι πρὸς τὸ εἰδέναι τὴν ἀλήθειαν-πᾶν ἀεὶ τέταται; intransitive Soph. Ant. 711 τὸ μὴ τείνειν ἄγαν „non nimis pertinaciter contra tendere". Accedunt adiectiva ab hac stirpe derivata, ἔντονος: Sophocl. fr. 758 πρὸς ἅσπερ (τὰς ὀξύτητας τῶν παθῶν) οἱ μαργῶντες ἐντονώτατοι, Plat. Theaet. 173 a ἔντονοι καὶ δριμεῖς γίγνονται, Rp. 528 c ἐντόνως ζητούμενα i. e. contente, studiose; εὔτονος intentus validus: Plat. Leg. 815 a τὸ ὀρθὸν ἐν τούτοις καὶ εὔτονον; σύντονος Soph. Tr. 923 συντόνῳ χερὶ λύει τὸν αὑτῆς πέπλον; Eur. Bacch. 126 furor bacchicus vocatur σύντονος, cf. Polluc. 4, 100 ὀνομάζεται τὸ ὄρχημα τὸ Περσικὸν καὶ σύντονον (cf. 102 ἔντονα ὀρχήματα, τὸ μὲν χειρῶν κίνησιν ἀσκοῦν, ἡ δὲ θερμαυστρὶς πηδητικόν); Plat. Conviv. 203 d ἀνδρεῖος ὢν-καὶ σύντονος, Leg. 734 a συντόνους-ἐπιθυμίας καὶ ἔρωτας, Soph. 242 e διαφερόμενον γὰρ ἀεὶ ξυμφέρεται, φασὶν αἱ συντονώτεραι τῶν Μουσῶν· αἱ δὲ μαλακώτεραι τὸ μὲν ἀεὶ ταῦτα οὕτως ἔχειν ἐχάλασαν. Item συντονία est vehementia, studium, labor, cf. Plat. Tim. 84 e ὠδῖνας παρέσχε, μεγίστας δέ, ὅταν περὶ τὰ νεῦρα καὶ τὰ ταύτῃ φλέβια περιστὰν καὶ ἀνοιδῆσαν τούς τε ἐπιτόνους καὶ τὰ ξυνεχῆ νεῦρα οὕτως εἰς τὸ ἐξόπισθεν κατατείνῃ τούτοις· ἃ δὴ καὶ ἀπ' αὐτοῦ (exspectes αὐτῆς) τῆς συντονίας τοῦ παθήματος τὰ νοσήματα τέτανοί τε καὶ ὀπισθότονοι προσερρήθησαν; cf. Aristot. Pol. 1341 b 36 (opponuntur διαγωγή et ἄνεσις), 1337 b 39 (coniunguntur ἀσχολεῖν et πόνος).

A stirpe τεν- iam antiquissimis temporibus derivatum

est nomen τόνος, quod fuit et nomen actionis[1]) significavitque tensionem, et sensu concreto notavit id quod tenditur. Vim tensionis haec vox retinuit per omnia tempora, cf. Herodot. 7, 36 ἵνα ἀνακωχεύῃ τὸν τόνον τῶν ὅπλων „intentionem rudentum.“ Praecipue usus translatus latissime increbuit, ita ut synonyma essent ὄρεξις, συντονία, πάθος, δριμύτης, ἰσχύς, ἀνδρεία, στοχασμός sim. Ex ingenti exemplorum copia pauca tantum delibabo: Pind. Ol. 10, 64 στάδιον μὲν ἀρίστευσεν, εὐθὺν τόνον (ex Thierschii coni., ll. εὐθύτονον) ποσσὶ τρέχων (cf. Ψ 375 ἄφαρ δ' ἵπποισι τάθη δρόμος); Xenophan. eleg. 1, 20 ἀνδρῶν δ' αἰνεῖν τοῦτον, ὃς ἐσθλὰ πιὼν ἀναφαίνει, ὥς οἱ μνημοσύνη καὶ τόνος ἀμφ' ἀρετῆς (cf. Pind. Pyth. 11, 54 ἀμφ' ἀρεταῖς τέταμαι) quod non debuerunt mutare editores in πόνος. Praecipue rhetores hanc vocem in deliciis habent, cf. Demetr. Magn. apud Dionys. de Dinarcho p. 299, 4 U.-R. ἡ δὲ λέξις ἐστὶ τοῦ Δεινάρχου κυρίως ἠθική, πάθος κινοῦσα, σχεδὸν τῇ πικρίᾳ μόνον καὶ τῷ τόνῳ τοῦ Δημοσθενικοῦ χαρακτῆρος λειπομένη; ipse Dionysius de Demosth. p. 176, 2 cum v. τόνος coniungit ἰσχύς, cf. p. 158 in., 157 ex.; de Thucydide p. 360, 9 coniunguntur βάρος, πάθος, τὸ ἐρρωμένον καὶ ἐναγώνιον πνεῦμα quibus efficiatur δεινότης; de comp. p. 47, 18 opponitur χάρις; de Demosth. p. 166, 17 Isocrati dicuntur deesse τόνοι κραταιοί (de Demosth. p. 169, 16 eiusdem elocutio audit ἄτονος); praet. cf. de imitat. 2, 2 p. 205 in.; Plutarch. de tuenda san. p. 127 b (coni. ῥώμη), vit. Caton. min. 67 (coni. τραχύτης). — Herodotus, cum l. l. intentionem exprimat voce τόνος, 9, 118 rem tensam ipsam hac voce significat: lectuli cingula vocat τόνους τῶν κλινέων. Sic Pollux 1, 142 τόνον appellari ait τὴν ἱμάντωσιν τοῦ δίφρου, Suidas v. τόνος haec esse τὰ τῶν κραββάτων

---

1) cf. Brugmann Griech. Gramm.[4] p. 210 ex., Brugmann-Delbrück Vergleich. Gramm. der idg. Sprachen II[2] 1 (1906) p. 148 ex. sq., qui cum τόνος conferunt „ai. tāna-s Faden, mus. Ton“. Item et abstracta et concreta sunt e. g. τόκος quod significat 1) nascendi actionem T 119 P 5, 2) natum H 128 ο 175 (cf. γόνος) et στρόφος de cuius notione abstracta commonet Aristoph. Thesm. 484 στρόφος (tormina) μ' ἔχει τὴν γαστέρα; vinculum tortum est ν 438 ρ 198 ἐν δὲ στρόφος ἦεν ἀορτήρ.

σχοινία, cf. Aristoph. Lysistr. 923, Poll. 10, 36 sq., schol. Aristoph. Eq. 532. Rudentes ab Aeschylo fr. 205 dicuntur ὠμολίνου μακροὶ τόνοι, funis ab Homero πρότονος A 434 al., ἐπίτονος μ 423, cf. Aesch. Ag. 897, Eur. Hel. 1615, Xen. Cyn. 10, 2 quem loc. affert Pollux 5, 27. Apud medicos nervi, quos Homerus Δ 521 al. τένοντας appellaverat, dicuntur τόνοι, cf. Plat. Tim. 84 e, Poll. 2, 202, Stephani Thes. v. τόνος; cf. etiam Plat. Leg. 945 c.

Tenemus adhuc in voce τείνειν notionem tendendi, enitendi; in voce τόνος tensionis, roboris, studii, vehementiae et rudentis, funis, nervi. Sed quae intenduntur, expanduntur etiam longioraque fiunt, unde magnopere amplificati sunt huius stirpis fines. Utraque vis quam artissime coniuncta est χ 187 sqq.:

τὼ δ' ἄρ' ἐπαΐξανθ' ἑλέτην ἔρυσάν τέ μιν εἴσω
κουρίξ, ἐν δαπέδῳ δὲ χαμαὶ βάλον ἀχνύμενον κῆρ,
σὺν δὲ πόδας χεῖράς τε δέον θυμαλγέι δεσμῷ
εὖ μάλ' ἀποστρέψαντε διαμπερές —
σειρὴν δὲ πλεκτὴν ἐξ αὐτοῦ πειρήναντε
κίον' ἀν' ὑψηλὴν ἔρυσαν πέλασάν τε δοκοῖσιν. —
ὣς ὁ μὲν αὖθι λέλειπτο ταθεὶς ὀλοῷ ἐνὶ δεσμῷ,

ταθείς i. e. distortus et porrectus. Sic apud Homerum panduntur vela λ 11 τέταθ' ἱστία, sed etiam corpora humi strata dicuntur ταθῆναι: Δ 536 ὣς τώ γ' ἐν κονίῃσι παρ' ἀλλήλοισι τετάσθην, N 655 ὥς τε σκώληξ ἐπὶ γαίῃ κεῖτο ταθείς, cf. Δ 544, Φ 119. Iupiter tempestatem pandit Π 365, nox super mortales panditur λ 19, panditur denique pugna O 413 P 543. Deinde hic dicendi usus, sicuti plerumque fit, de loco ad tempus translatus est, cf. Aesch. Prom. 536 ἁδύ τι θαρσαλέαις τὸν μακρὸν τείνειν βίον ἐλπίσι, cf. Ag. 1362, Pers. 708, Eur. Ion. 625, Med. 670; intransitive Pers. 64 τείνοντα χρόνον τρομέονται. Satis frequens est locutio λόγον τείνειν, ἐκτείνειν, ἀποτείνειν i. e. longam orationem habere: Aesch. Ag. 1296 post longam Cassandrae orationem γύναι, μακρὰν ἔτεινας (sim. Soph. Ai. 1040 μὴ τεῖνε μακράν), Choeph. 510 καὶ μὴν ἀμεμφῆ τόνδ' ἐτεινάτην λόγον (ubi verbum egregie restituit Hermann); Plat. Gorg. 519 e συχνοὺς τείνω τῶν λόγων; Gorg. 466 a ἀπότεινε

καὶ σὺ λόγον, cf. Prot. 336c, 335c, Rp. 605d, Gorg. 465e, Poll. 4, 26; 113, Plutarch. Cat. min. 67; similiter ἐκτείνειν Aesch. Ag. 829, 916, Eum. 201, 707; Plat. Soph. 217d, Leg. 887a. Sicuti tota oratio, ita singuli quoque soni poterant dici ἀποτεταμένοι, cf. Plat. Prot. 329a ὥσπερ τὰ χαλκεῖα πληγέντα μακρὸν ἠχεῖ καὶ ἀποτείνει (sc. τὸν φθόγγον, sicuti etiam λόγος sive ῥῆσις in his locutionibus omittitur), ἐὰν μὴ ἐπιλάβηταί τις, καὶ οἱ ῥήτορες - δολιχὸν κατατείνουσι τοῦ λόγου. Item versu et ordine longarum breviumve syllabarum verba videbantur in certam longitudinem extendi, ad certum definitumque modum porrigi, et τόνος exstitit vetustissimum nomen versus, decempeda ut ita dicam, ad cuius longitudinem iterabantur metra, i. e. singuli pedes sive dipodiae (vide etiam locutionem infra explicatam ἐντείνειν εἰς μέτρον). Ita apud Herodotum legimus ἐν ἑξαμέτρῳ τόνῳ sive ἐν ἑξαμέτροις τόνοις sive ἐν τριμέτρῳ τόνῳ 1, 47; 62; 174; praeterea haec locutio obvia est apud Flav. Ioseph. Ant. Iud. 2, 34 (346), Themistium or. 2 p. 32, 13 Dind., Suid. v. τόνος, Polemonem apud Athen. 15, 698 b. Bene haec translatio illustratur Pindari fr. 79 Schr. πρὶν μὲν εἷρπε σχοινοτένειά τ' ἀοιδὰ διθυράμβω καὶ τὸ σὰν κίβδηλον ἀνθρώποις i. e. olim simplici atque recta via quasi ad decempedam progrediebatur cantus, non per ambages artificiosas sive metricas sive harmonicas neque vitabatur illud detestandum sigma (cf. etiam nomum aulodicum qui vocabatur σχοινίων, de quo Wilamowitz in Timothei editione p. 90[1]).

Peculiarem exigit quaestionem compositum ἐντείνειν, quod ut ad musicas res et vocem sensim nos traducit, ita tamen intra suos se continet fines. ἐντείνειν dici potuit de funiculo qui in aliquid intendebatur et de re in quam ille tendebatur, veluti τὸ νεῦρον ἐντείνεται εἰς τὸ τόξον et τὸ τόξον ἐντείνεται; praevaluit quantum scio alter hic usus. Intenduntur autem proprie imprimis arcus, lectulus, lyra. 1. ἐντείνεται τὸ τόξον i. e. nervus adaptatur τῇ κορώνῃ: φ 184 οὐδὲ δύναντο ἐντανύσαι (τὸ τόξον); Plat. Rival. 135a de procis Penelopae ὅστις ἐντενεῖ τὸ τόξον; Herod. 2, 173 τὰ τόξα οἱ ἐκτημένοι, ἐπεὰν μὲν δέωνται χρᾶσθαι, ἐντανύουσι· εἰ γὰρ δὴ τὸν πάντα χρόνον ἐντεταμένα εἴη, ἐκραγείη ἄν, cf. Eur. Suppl. 886,

Aeschyli fr. 83; non differt medium, cf. Eur. Iph. Aul. 549, Xenoph. Cyr. 4, 1, 3, Menandr. de epideicticis 9, 271, 16 Walz. 2. ἐντείνεται κλίνη sim. Apud Homerum quidem E 728 δίφρος qui ἱμᾶσιν ἐντέταται videtur loris suspensus fuisse (cf. de galea K 263), et apud Herodot. 5, 25 θρόνον ἐνέτεινε significat „er überspannte den Sessel". Magis ad nostram quaestionem facit Aristot. Mech. 856 b 2 διὰ τί ἐντείνουσι (τὰς κλίνας) οὐ κατὰ διάμετρον. ἐντείνειν de ipsis funibus dicitur ibid. b 38 εἰ δὲ κατὰ διάμετρον ἐνταθῇ τὰ σπαρτία et a Polluce 10, 36 καὶ μὴν τό γε τῇ κλίνῃ ἢ τῷ σκίμποδι ἐντεταμένον ὡς φέρειν τὰ τυλεῖα, σπάρτα, σπαρτία, τόνος, κειρία κτλ. 3. ἐντείνεται ἡ λύρα, κιθάρα et ἐντείνονται αἱ χορδαί. Scilicet etiam simpliciter dicitur τείνειν τὰς χορδάς sive ab antiquissimis poetis τανύειν, veluti in vetustissimis his exemplis quae adhuc consulto omisimus: φ 407

ὡς ὅτ' ἀνὴρ φόρμιγγος ἐπιστάμενος καὶ ἀοιδῆς
ῥηιδίως ἐτάνυσσε νέῳ περὶ κόλλοπι χορδήν,
ἅψας ἀμφοτέρωθεν ἐυστρεφὲς ἔντερον οἰός,
ὣς ἄρ' ἄτερ σπουδῆς τάνυσεν μέγα τόξον Ὀδυσσεύς [1]),

et hymn. Merc. 50 καὶ πήχεις ἐνέθηκ', ἐπὶ δὲ ζυγὸν ἤραρεν ἀμφοῖν, ἑπτὰ δὲ συμφώνους ὀίων ἐτανύσσατο χορδάς, unde lyram vocat χορδότονον Sophocles fr. 223, 2. Sed et hymni loco mente supplendum est εἰς τὴν λύραν, et plerumque chordae nondum adaptatae dicuntur ἐντείνεσθαι, contrae eae, quae adaptatae ad iustum modum tenduntur, τείνεσθαι vel ἐπιτείνεσθαι (v. i.). Ἐντείνεται ἡ χορδή Aristox. Harm. p. 133, 13 Macr. εἰ δέ τις οἴεται, ὅτι τὰ τρυπήματα ὁρᾷ ταὐτὰ ἑκάστης ἡμέρας ἢ τὰς χορδὰς ἐντεταμένας τὰς αὐτάς, διὰ τοῦθ' εὑρήσειν τὸ ἡρμοσμένον ἐν αὐτοῖς διαμένον-, παντελῶς εὐήθης, nam τὸ ἡρμοσμένον efficitur τῇ χειρουργίᾳ; cf. Lucian. deor. dial. 7, 4 (attulit Ian Saiteninstrumente p. 6 [38]). In imagine hac locutione utitur Plato Phaed. 92 a ἀλλὰ ἀνάγκη σοι-ἄλλα

1) Sollemnis fuit post Homerum arcus et lyrae comparatio, ad quam recurremus in Heraclito; cf. etiam Aristot. Rhet. 1413 a 1, qui translationis affert exemplum τόξον φόρμιγξ ἄχορδος.

δοξάσαι, ἐάνπερ μείνῃ ἥδε ἡ οἴησις, τὸ ἁρμονίαν μὲν εἶναι συνθετὸν πρᾶγμα, ψυχὴν δὲ ἁρμονίαν τινὰ ἐκ τῶν κατὰ τὸ σῶμα ἐντεταμένων. Instrumentum dicitur intendi ab Alexide comico fr. 298 II p. 403 K. τὸ παναρμόνιον τὸ καινὸν ἔντεινον τεχνῶν. Notum est ὄργανα ἐντατά discerni ab ἐμπνευστοῖς, cf. Nicomach. enchir. p. 240, 22 Ian, p. 243, 12. 16. 18, Athen. 4, 182 e; [Polluc. 4, 58]; [Plutarch.] vit. Hom. 148. Transitum tandem faciamus ad usum metaphoricum imagine Platonis Phaed. 86 b (cf. 92 a modo l.) τοιοῦτόν τι μάλιστα ὑπολαμβάνομεν τὴν ψυχὴν εἶναι, ὥσπερ ἐντεταμένου τοῦ σώματος ἡμῶν καὶ συνεχομένου ὑπὸ θερμοῦ καὶ ψυχροῦ καὶ ξηροῦ καὶ ὑγροῦ καὶ τοιούτων τινῶν, κρᾶσιν εἶναι καὶ ἁρμονίαν αὐτῶν τούτων τὴν ψυχὴν ἡμῶν, ἐπειδὰν ταῦτα καλῶς καὶ μετρίως κραθῇ πρὸς ἄλληλα.

Omnibus locis, quibus occurrit ἐντείνειν, id est commune, quod aliquid sive funis sive nervus sive chorda intenditur in ambitum quendam (Rahmen), ita ut intentum illud novam accipiat formam. Unde pulchra translatione τὸ ῥυθμίζεσθαι et σχηματίζεσθαι omnino a Graecis vocabatur ἔντασις εἴς τί. Hae igitur translationes, quatenus ad vocem pertinent, se continent intra imaginis fines, ita ut fere nil indicent de eius vocis aut quantitate vehementiave aut qualitate. Translationis sensus optime apparet ex Suidae verbis v. ἀείδελον: τὸν χαλκὸν ἄμορφον παραλαβόντες - εἰς μορφὴν ἐντείνουσι; cf. Plat. Men. 87 a ὥσπερ οἱ γεωμέτραι πολλάκις σκοποῦνται, ἐπειδάν τις ἔρηται αὐτούς, οἷον περὶ χωρίου, εἰ οἷόν τε ἐς τόνδε τὸν κύκλον τόδε τὸ χωρίον τρίγωνον ἐνταθῆναι, 87 b τὸ συμβαῖνον περὶ τῆς ἐντάσεως αὐτοῦ εἰς τὸν κύκλον. Cogitationes sic includuntur, intenduntur in voces: Plat. Phil. 38 e τά τε πρὸς αὑτὸν ῥηθέντα ἐντείνας εἰς φωνήν; cantilenae poetarum includuntur in citharae voces: Plat. Prot. 326 a b ἐπειδὰν κιθαρίζειν μάθωσιν, ἄλλων αὖ ποιητῶν ἀγαθῶν ποιήματα διδάσκουσι μελοποιῶν, εἰς τὰ κιθαρίσματα ἐντείνοντες; Dionys. de Demosthene p. 233, 19 εἴ τις ᾠδαῖς ἢ κρούμασιν ὀργάνων τὸ κάλλιστον ἐντείνας μέλος (idem quod ἐντείνας εἰς ᾠδὰς ἢ κρούματα τὸ μέλος) ῥυθμοῦ μηδένα ποιοῖτο λόγον, ἔσθ' ὅπως ἄν τις ἀνάσχοιτο τῆς τοιαύτης μουσικῆς; idem de Isocrate p. 58, 8 ἐκλέγει μὲν εὖ -, ἁρμόττει δὲ αὐτὰ περιέργως, τὴν εὐ-

φωνίαν ἐντείνων μουσικήν; Philochor. apud Athen. 14, 637 f Λύσανδρος ὁ Σικυώνιος - μετέστησε τὴν ψιλοκιθαριστικήν, μακροὺς τοὺς τόνους ἐντείνας (sc. εἰς τὴν ψιλοκιθαριστικήν: „indem er lange Töne hineinbrachte", nil amplius) καὶ τὴν φωνὴν εὔογκον ποιήσας; Aeschin. 2, 157 ταῦθ' ὑποθεὶς ἐπεῖπεν ἐντεινάμενος (sc. εἰς τὸν λόγον) ταύτην τὴν ὀξεῖαν καὶ ἀνόσιον φωνήν —[1]). Denique verba secundum longarum breviumve syllabarum ordinem includuntur in metrum, ῥυθμίζονται, ita ut efficiant τόνον ἑξάμετρον sim., cf. Plat. Phaed. 60 d περὶ γάρ τοι τῶν ποιημάτων ὧν πεποίηκας ἐντείνας τοὺς τοῦ Αἰσώπου λόγους (sc. εἰς μέτρον) καὶ τὸ εἰς τὸν Ἀπόλλω προοίμιον καὶ ἄλλοι τινές με ἤδη ἤροντο; Hipparch. 288 d ἐκλεξάμενος ἃ ἡγεῖτο σοφώτατα εἶναι, ταῦτα αὐτὸς ἐντείνας εἰς ἐλεγεῖον; Plut. de mus. 28 Ἀρχίλοχος τὴν τῶν τριμέτρων ῥυθμοποιίαν προσεξεῦρε καὶ τὴν εἰς τοὺς οὐχ ὁμογενεῖς ῥυθμοὺς ἔντασιν, cf. ibid. ἥ τε τοῦ ἰαμβείου πρὸς τὸν ἐπιβατὸν παιῶνα ἔντασις καὶ ἡ τοῦ ηὐξημένου ἡρῴου εἴς τε τὸ προσοδιακὸν καὶ τὸ κρητικόν, et Plut. Sol. 3.

Adhuc de tensione generatim locuti sumus. Restat tensionis incrementum et laxatio, quae notantur vocibus ἐπιτείνειν et ἀνιέναι sive χαλᾶν. De nervis cf. Hippocrat. περὶ ἄρθρων ἐμβολῆς II 121, 5 Kühlew. καὶ γὰρ ἡ ὑγρότης τοῖσιν ἀνθρώποισι γίνεται ἡ ἐκ τῶν ἄρθρων διὰ τῶν νεύρων τὴν ἀπάρτησιν, ἣν χαλαρά τε ᾖ φύσει καὶ τὰς ἐπιτάσιας εὐφόρως φέρῃ;

---

1) Peculiare aliquid inest in locutione παρεντείνειν τὸν ἦχον, τὴν φωνήν, cf. Dionys. de Demosth. 245, 16 et Plutarch. Quaest. conv. 623 a, quae idem fere est quod vocem deflectere (παρεγκλίνειν τὴν φωνὴν < ἐπὶ τὴν μελῳδίαν addit Aristides > de eadem re dixerunt Plutarch. 623 a et Aristides Quint. p. 40, 24 Iahn, uterque fortasse Theophrastum de musica secutus, cf. Aristid. p. 41, 26 ~ Plut. 623 a) ad cantilenam illam multis detestatam, de qua multi rhetores verba fecerunt = ἀτρέμα τῷ μελῳδεῖν προσάγειν τὴν φωνήν (Plut. l. l.). Neque Plato Rp. 536 b ἐπελαθόμην - ὅτι ἐπαίζομεν, καὶ μᾶλλον ἐντεινάμενος εἶπον eam de qua agimus sequitur imaginem; ἐντεινάμενος enim est ἐντείνας ἐμαυτόν = ἐντόνως. — Paulo aliter etiam Aristoph. Nub. 968 εἶτ' αὖ προμαθεῖν ᾆσμ' ἐδίδασκεν -, ἐντειναμένους τὴν ἁρμονίαν, ἣν οἱ πατέρες παρέδωκαν, i. e. intentos ad eam harmoniam; neque dicitur ἐντείνειν τὴν ἁρμονίαν εἰς τὸ ᾆσμα sed ἐντείνειν τὸ ᾆσμα εἰς τὴν ἁρμονίαν.

Plat. Phaed. 98 c ὥσπερ ἂν εἴ τις λέγοι -, ὅτι διὰ ταῦτα νῦν ἐνθάδε κάθημαι, ὅτι σύγκειταί μου τὸ σῶμα ἐξ ὀστέων καὶ νεύρων, καὶ τὰ μὲν ὀστᾶ ἐστιν στερεὰ καὶ διαφυὰς ἔχει χωρὶς ἀπ' ἀλλήλων, τὰ δὲ νεῦρα οἷα ἐπιτείνεσθαι καὶ ἀνίεσθαι (i. e. ὑγρά ἐστι, „elastisch") —; cf. Tim. 74 b, Aristot. de animal. procreat. 5, 7, 7 p. 10, 11 Ian. Item spiritus intercorporei incrementum tendit corpus, cf. [Hippocr.] de victu I 685 ex. Kühn φῦσαν δὲ ἐμποιέει (σκόροδον θερμὸν) διὰ τοῦ πνεύματος τὴν ἐπίτασιν. Sic ἐπίτασις omnino omne incrementum significavit praesertim in rebus valde motis, vehementibus, cf. [Hippocr.] περὶ διαίτης ὀξέων I 173, 11 Kühlew. ἐπιτάσιας πυρετῶν καὶ ἀνέσιας; Παραγγελίαι I 82 Kühn ἄνεσις γὰρ καὶ ἐπίτασις νοσέοντος ἐπινέμησιν ἰητρικὴν κέκτηνται; cf. [Aristot.] de spiritu 483 a 3 ἀνωμαλία καὶ ἐπίτασις ἐν σωματικοῖς τισι πάθεσι; Plat. Leg. 645 d ἆρα σφοδροτέρας τὰς ἡδονὰς - ἡ τῶν οἴνων πόσις ἐπιτείνει; ἄνεσις est idem quod διαγωγή, relaxatio, quies, cf. Aristot. Pol. 1341 b 41 qui contendit musicam utilem esse etiam πρὸς ἄνεσίν τε καὶ τὴν τῆς συντονίας ἀνάπαυσιν. Denique secundum Aristotel. de caelo 288 a 19, b 21 omnis motus inaequalis habet ἄνεσιν καὶ ἐπίτασιν καὶ ἀκμήν.

Venimus — ceteris partibus fere examinatis — ad musicam et vocem. Tendebantur funes, nervi, chordae; atque sicuti et funes et nervi intenti vocabantur τόνοι, ita sane etiam chordae tentae. Sic a Polluce 4, 62 μέρη τῶν ἐντατῶν ὀργάνων enumerantur νευραί, χορδαί, λίνα, μίτοι, τόνοι; sic a poetis lyra vocatur ἑπτάτονος, quod epitheton certe quondam ipsas chordas significavit, etsi plerique posteriores de sonis cogitant[1]) (v. i.); cf. Eur. Alc. 446, Herc. 683, Iph. Taur. 1129, epigrammata quae Terpandro (5 Bgk.) et Ioni Chio (3) tribuuntur, Cleonid. Isag. harm. p. 202, 8 Ian. Singulae chordae intenduntur et laxantur usque ad iustum tenorem, ἐπιτείνονται καὶ χαλῶνται ἢ ἀνίενται, cf. Plat. Lys. 209 b καὶ ἐπειδὰν - τὴν λύραν λάβῃς, οὐ διακωλύσουσί σε οὔθ' ὁ πατὴρ οὔθ' ἡ μήτηρ ἐπιτεῖναί τε καὶ ἀνεῖναι ἣν ἂν βούλῃ τῶν χορδῶν, καὶ ψῆλαι καὶ κρούειν τῷ πλήκτρῳ; Rep. 349 e δοκεῖ ἂν οὖν

---

1) id quod ostendit Pind. Pyth. 2, 70 ἑπτακτύπου φόρμιγγος et Nem. 5, 24 φόρμιγγα ἑπτάγλωσσον.

τίς σοι - μουσικὸς ἀνὴρ ἁρμοττόμενος λύραν ἐθέλειν μουσικοῦ ἀνδρὸς ἐν τῇ ἐπιτάσει καὶ ἀνέσει τῶν χορδῶν πλεονεκτεῖν —; Aristoxen. c. 11 p. 104, 1 δεῖ δὲ πειρᾶσθαι κατανοεῖν εἰς αὐτὸ ἀποβλέποντας τὸ γιγνόμενον τί ποτ' ἐστὶν ὃ ποιοῦμεν ὅταν ἁρμοττόμενοι τῶν χορδῶν ἑκάστην ἀνιῶμεν ἢ ἐπιτείνωμεν. Δῆλον δὲ τοῖς γε μὴ παντελῶς ἀπείροις ὀργάνων, ὅτι ἐπιτείνοντες μὲν εἰς ὀξύτητα τὴν χορδὴν <ἄγομεν ἀνιέντες δ' εἰς βαρύτητα· καθ' ὃν δὲ χρόνον> ἄγομέν τε καὶ μετακινοῦμεν εἰς ὀξύτητα τὴν χορδήν, οὐκ ἐνδέχεταί που ἤδη εἶναι τήν γε μέλλουσαν ἔσεσθαι ὀξύτητα διὰ τῆς ἐπιτάσεως. τότε γὰρ ἔσται ὀξύτης, ὅταν τῆς ἐπιτάσεως ἀγαγούσης εἰς τὴν προσήκουσαν τάσιν στῇ ἡ χορδὴ καὶ μηκέτι κινῆται.

Cum tensione igitur mutatur sonus; nam apud Graecos unaquaeque chorda suum habebat unicum sonum[1]). Itaque τόνος, ἐπιτείνειν, ἀνιέναι, σύντονος artis vocabula facta et de chordis intentis ad earum sonos indeque ad quosvis sonos musicos translata sunt. Quod eo facilius potuit fieri, quia multo maior erat lyrae et τῶν ἐντατῶν quam tibiae auctoritas, id quod vel inde apparet, quod singuli soni nomina acceperunt a chordis: νήτη (sc. χορδή), μέση, ὑπάτη, τρίτη, excepto proslambanomeno, ad quem mente supplendum est τόνος sive φθόγγος (cf. etiam voces ἁρμονία, de qua infra agetur, τετράχορδον sim.). Porro tota physicorum de audibilibus doctrina recurrebat ad chordas, et saepissime veteres poetae (cf. Pratinae fr. 1) philosophi musici et fabulis et praeceptis probaverunt tibias sibi sordere prae lyra citharave. Τόνος igitur generaliter significat sonum musicum, e. g. his locis: Plat. Rp. 617 b ἐπὶ δὲ τῶν κύκλων αὐτοῦ ἄνωθεν ἐφ' ἑκάστου βεβηκέναι Σειρῆνα συμπεριφερομένην, φωνὴν μίαν ἱεῖσαν, ἕνα τόνον; [Aristot.] Probl. 19, 39 a p. 100, 5 Ian (cuius vide ind. v. τόνος) ἐκ παίδων γὰρ νέων καὶ ἀνδρῶν γίνεται τὸ ἀντίφωνον (sc. in choro), οἳ διεστᾶσι τοῖς τόνοις ὡς νήτη πρὸς ὑπάτην; Plut.

---

1) nam ὁ μονόχορδος κανών physicorum tantum erat; secundum Ptol. Harm. 2, 12 p. 85 in. Wallis enim τῆς χρήσεως - ἕνεκεν ἔσχατον ἂν εἴη πάντων τὸ ὄργανον τοῦτο καὶ ἀσθενέστατον· οὐ μόνον ὅτι τῇ μὲν ἁρμόζεται (sc. τοῦ ὑπαγωγέως ope), τῇ δὲ κρούεται χωρίς καὶ μιᾷ ταῖν χεροῖν (cum lyra utraque manu pulsetur), ὥστε ἀπεστερῆσθαι τῶν ἐν τῇ χειρουργίᾳ καλλίστων κτλ.

Pericl. 15 ἔδειξε τὴν ῥητορικὴν - ψυχαγωγίαν οὖσαν καὶ μέγιστον ἔργον αὐτῆς τὴν περὶ τὰ ἤθη καὶ πάθη μέθοδον, ὥσπερ τινὰς τόνους καὶ φθόγγους ψυχῆς μάλ' ἐμμελοῦς ἁφῆς καὶ κρούσεως δεομένους[1]). Eadem res est in voce τάσις, cf. Adrastum Peripateticum apud Theonem Smyrn. p. 49 ex. sq. Hiller; ibid. p. 60, 13. Quin etiam χορδή interdum notavit sonum, cf. Simonidis fr. 46 (quod a Simonide alienum putant Boas De epigrammatis Sim. p. 95 et Wilamowitz Sappho p. 151) ἐπείπερ ἄρξατο τερπνοτάτων μελέων ὁ καλλιβόας πολύχορδος αὐλός; Plat. Leg. 670 d μέχρι γε τοσούτου πεπαιδεῦσθαι σχεδὸν ἀναγκαῖον, μέχρι τοῦ δυνατὸν εἶναι συνακολουθεῖν ἕκαστον ταῖς τε βάσεσιν τῶν ῥυθμῶν (cf. Pind. Pyth. 1, 2) καὶ ταῖς χορδαῖς ταῖς τῶν μελῶν, cf. [Eur.] Rhes. 549, Plat. Rp. 399 d, Phil. 56 a, Graf De musica p. 5[3].

Iam accedimus ad quaestionem intricatissimam eamque gravissimam — immo in qua totius rei fere posita est summa — quaenam intercesserit Graecis necessitudo inter acumen gravitatemve et tensionem, inter vocabula ὀξύς — βαρύς et ἐπιτεταμένος sive σύντονος — ἀνειμένος. Qua in re nobis notanda erunt haec: τόνος semper cum vi aliqua et vehementia coniunctus est. Et primum quidem in lyra, quo maior est tensio, eo acutiores fiunt soni. Etiam tibicen spiritu iuvante moderatur acumen et gravitatem, cf. Aristox. p. 132 ex. Macr. Denique in voce humana cum acumine crescit tensio pulmonis atque arteriae. Insuper absque omni discrimine vehementiae pluribus de causis quae ex indole sensuum nostrorum pendent acutioribus sonis fortius movemur quam gravioribus, cf. Stumpf Tonpsych. I 365 („höhere Töne und Geräusche [soweit diese eine bestimmte Höhe besitzen] werden bei gleicher Reizstärke als stärker beurteilt gegenüber tieferen“). Quibus de causis vis atque vehementia in sonis tendit in acumen et re vera saepius in acumine reperitur quam in gravitate. Quaeritur, quatenus Graeci utrumque distinxerint.

Primum musici viderant in lyra acumen augeri et minui cum tensione chordarum. Itaque cum ex lyra de sonis iudicare

1) Aristoxenus vocem τόνος non ponit pro φθόγγῳ, ne confundatur cum tonico intervallo aut cum transposito systemate, quorum utrumque vocatur τόνος.

consuessent neque curarent vim atque ictum in singulis sonis, quia aequabili quodam tenore fluere solet cantus neque singula iudicantur ex vi, sed ex intervallis harmonicis numerorum ratione constitutis, proclive iis erat τὸ ὀξύ confundere cum τῷ συντόνῳ, ita tamen ut aut plerumque aut semper quadamtenus subesset lyrae memoria atque imago, cf. Aristox. p. 108 in. Macr. φαίνεται γάρ, ὡς τύπῳ εἰπεῖν, διαφορά τις εἶναι τάσεων τὸ διάστημα καὶ τόπος (v. i.) δεκτικὸς φθόγγων ὀξυτέρων μὲν τῆς βαρυτέρας τῶν ὁριζουσῶν τὸ διάστημα τάσεων, βαρυτέρων δὲ τῆς ὀξυτέρας· διαφορὰ δὲ ἐστὶ τάσεων τὸ μᾶλλον ἢ ἧττον τετάσθαι. Sic τὸ σύντονον opponitur τῷ βαρεῖ, ita ut idem sit quod τὸ ὀξύ, item τὸ ἀνειμένον τῷ ὀξεῖ, cf. Aristot. de animal. procreat. p. 787 a 1 (p. 8, 15 Ian) καὶ δοκεῖ γενναιοτέρας εἶναι φύσεως ἡ βαρυφωνία (sc. τῆς ὀξυφωνίας) καὶ ἐν τοῖς μέλεσι τὸ βαρὺ τῶν συντόνων βέλτιον· τὸ γὰρ βέλτιον ἐν ὑπεροχῇ, ἡ δὲ βαρύτης ὑπεροχή τις (compluries antecesserat pro συντόνῳ τὸ ὀξύ et statim sequitur); Aristox. p. 116, 10 καθόλου γὰρ βαρύταται μὲν αἱ ἐναρμόνιοι λιχανοὶ ἦσαν, ἐχόμεναι δ' αἱ χρωματικαί, συντονώταται δ' αἱ διάτονοι; p. 137, 6 φαίνεται δὴ συντονωτάτη μὲν εἶναι λιχανὸς ἡ τόνον ἀπὸ μέσης ἀπέχουσα, ποιεῖ δ' αὕτη διάτονον γένος, βαρυτάτη δ' ἡ δίτονον, γίγνεται δ' αὕτη ἐναρμόνιος. Aristoxeni aetate plerisque ἐπίτασις idem erat quod ὀξύτης, ἄνεσις idem quod βαρύτης[1]), quam neglegentiam impugnat p. 103, 21 τάχα οὖν παράδοξον ἂν φαίνοιτο τοῖς ἐλαφρότερον τὰ τοιαῦτα ἐπισκοπουμένοις τὸ τιθέναι τέτταρα ταῦτα καὶ μὴ δύο. σχεδὸν γὰρ οἵ γε πολλοὶ ἐπίτασιν μὲν ὀξύτητι ταὐτὸν λέγουσιν, ἄνεσιν δὲ βαρύτητι. Ipsi Aristoxeno (ibid.) acumen accuratius est τὸ γενόμενον διὰ τῆς ἐπιτάσεως, βαρύτης δὲ τὸ γενόμενον διὰ τῆς ἀνέσεως; cf. p. 132, 19 οὐ γάρ, ὅτι ὁ αὐλὸς τρυπήματά τε καὶ κοιλίας ἔχει καὶ τὰ λοιπὰ τῶν τοιούτων, ὅτι δὲ χειρουργίαν τὴν μὲν ἀπὸ τῶν χειρῶν τὴν δ' ἀπὸ τῶν λοιπῶν μερῶν οἷς ἐπιτείνειν τε καὶ ἀνιέναι πέφυκε (i. e. δι' ὧν κατὰ φύσιν τὸν φθόγγον ὀξύτερον καὶ βαρύτερον

---

1) Sicuti Francogalli ponunt „élévation" pro „hauteur", cf. Stumpf I 198 adn.; similiter in accentibus videbimus confundi ἀνειμένος et ἀνιέμενος, ἐπιτεταμένος et ἐπιτεινόμενος.

ποιοῦμεν, cf. Macran ad loc.), διὰ τοῦτο συμφωνεῖ διὰ τεσσάρων; p. 123, 23 καθόλου μὲν οὖν νοητέον οὖσαν ἡμῖν τὴν θεωρίαν περὶ μέλους παντὸς πῶς ποτε πέφυκεν ἡ φωνὴ ἐπιτεινομένη καὶ ἀνιεμένη τιθέναι τὰ διαστήματα[1]), i. e. quomodo vox secundum indolem naturalem ascendendo in acumen et in gravitatem descendendo intervalla melodica ponat; p. 114, 9 ὅτι μὲν οὖν αἱ τῶν κινεῖσθαι πεφυκότων φθόγγων (qui sunt parhypate et lichanos) ἐπιτάσεις τε καὶ ἀνέσεις αἴτιαί εἰσι τῆς τῶν γενῶν διαφορᾶς φανερόν. Τόνος (sive τάσις) igitur est sonus musicus, ἐπιτεταμένος sive σύντονος idem quod ὀξύς, ἀνειμένος idem quod βαρύς; ἐπιτάσει, quam tamen plerique confundunt cum ὀξύτητι, efficitur ὀξύτης, item ἀνέσει, quae plerumque confunditur cum βαρύτητι, pervenimus ad βαρύτητα.

Haec tamen se continent intra musicam regionem. Sed etiam extra eam saepe τόνος merum acumen expressit. Quod ut demonstremus, necesse erit vocis motum κατὰ τόπον tractare, qui etiam alias movet quaestiones, quae quamvis graves adhuc solvi nondum poterant. Harmonici enim post Aristoxenum exponunt vocem et in cantu et in sermone inter acumen et gravitatem moveri ἐπιτάσει καὶ ἀνέσει, ascendendo et descendendo. Quaeritur itaque quomodo Graeci sonos cum locis et rebus extensis comparaverint id quod Aristoxenus hoc loco (1, 8) facit. Et nobis quidem soni videntur lineae instar in altitudinem ascendere, ita ut acutos nominemus altos, graves autem depressos (de unica sonorum distantia, „Eindimensionalität" Stumpf I p. 144 sqq.). Contra a vocibus ὀξύς et βαρύς abest loci memoria. Sed fuerunt qui sonis „latitudinem" tribuerent, quorum quidem sensum non assequimur, cf. Aristox. p. 97, 5 Macr. ἀναγκαῖον δὲ τὸν βουλόμενον μὴ πάσχειν ὅπερ Λᾶσος τε καὶ τῶν Ἐπιγονείων τινὲς ἔπαθον, πλάτος αὐτὸν (τὸν φθόγγον) οἰηθέντες ἔχειν, εἰπεῖν περὶ αὐτοῦ μικρὸν ἀκριβέστερον, de quo loco audacius agit

1) Ad πέφυκε cf. p. 110, 6; Philodem. de mus. XIII 18 p. 78 K. τῶν (μελῶν) ἐμ φωνῆς κειμένων ποιότητι μόνον, XIV 15 p. 79 μέλος δ' ἀκόλουθον ὂν ποιότητι φωνῆς, i. e. vox natura inter acumen et gravitatem movetur.

Stumpf p. 187 sq.; cf. etiam Nicomach. enchir. p. 261, 6 I. ὡς δ' ἔνιοι, (φθόγγος ἐστὶν) ἦχος ἀπλατὴς κατὰ τόπον ἀδιάστατος; p. 242 ex. φθόγγον δὲ φωνῆς ἐμμελοῦς ἀπλατῆ τάσιν, cum plerique musici tonum ut transpositum systema dicant esse ἀπλατῆ, cf. Porphyr. in Ptol. p. 258 (attulit Stumpf l. l.), Cleonid. Isag. harm. p. 180, 4 I. Certe Graeci quoque sicuti nos pluribus de causis in sonis ad loci similitudinem delapsi sunt (cf. Stumpf p. 190; 223): soni musici secundum rhythmicas leges habent certam longitudinem; notae sicuti litterae efficiunt versus, qui usu obdurato cum sonis una repetuntur memoria mentique nostrae obversantur, denique Pythagorei sonos atque intervalla secundum chordarum longitudinem numeris (praecipue in rebus extensis conspicuis) incluserunt. Ipsa vox intervallum, διάστημα, quae in nostra testium inopia primum de sonis legitur apud Platonem (Phil. 17 c ἐπειδὰν λάβῃς τὰ διαστήματα ὁπόσα ἐστὶ τὸν ἀριθμὸν τῆς φωνῆς ὀξύτητός τε πέρι καὶ βαρύτητος, - καὶ τοὺς ὅρους τῶν διαστημάτων, cf. Rp. 531 a), sed quae certe ad Pythagoreos nisi ad tempora etiam priora recurrit, de geometria sumpta est. Nunc intervalla dicuntur habere μέγεθος, cf. Philolai fr. 6 p. 241, 14 Diels[2] ἁρμονίας (i. e. diapason intervalli) δὲ μέγεθός ἐστι συλλαβὰ καὶ δι' ὀξειᾶν· τὸ δὲ δι' ὀξειᾶν μεῖζον τᾶς συλλαβᾶς ἐπογδόῳ; cf. Aristid. Quint. 1, 9 in. γένη δὲ μελῳδίας τρία, ἁρμονία, χρῶμα, διάτονον, ἐκ τῆς τῶν διαστημάτων ἐγγύτητος ἢ μακρότητος λαμβάνοντα τὰς διαφοράς (cf. etiam artis vocabula πυκνόν, βαρύπυκνος sim.). Mox Graecis quoque soni ascendere et descendere videbantur; et sollemnia apud eos fuerunt vocabula ἄνω et κάτω (de quibus Ian Mus. Gr. p. 143 et Philol. 52 (1893) 17 sqq.). Dolendum est quod [Hippocrates] de victu (1, 18 p. 84, 32 Diels[2]), Heracliti obscuram brevitatem affectans, huic quaestioni parum affert lucis: κρούεται τὰ κρούματα ἐν μουσικῇ τὰ μὲν ἄνω, τὰ δὲ κάτω. γλῶσσα μουσικὴν μιμεῖται, διαγινώσκουσα μὲν τὸ γλυκὺ καὶ τὸ ὀξὺ τῶν προσπιπτόντων, καὶ διάφωνα καὶ σύμφωνα. κρούεται δὲ [τοὺς φθόγγους] ἄνω καὶ κάτω, καὶ οὔτε τὰ ἄνω κάτω κρουόμενα ὀρθῶς ἔχει οὔτε τὰ κάτω ἄνω· καλῶς δὲ ἡρμοσμένης γλώσσης τῇ συμφωνίῃ τέρψις, ἀναρμόστου δὲ λύπη. Apparet ἄνω et κάτω pertinere ad acumen et gravitatem; nam si recte dividitur et componitur τὸ ἄνω et

κάτω, τὸ κροῦμα (sicuti in gustu cibi) καλῶς ἥρμοσται et τέρπει τῇ συμφωνίῃ. Sed dubium est, τὸ ἄνω sitne acumen an gravitas. Non enim desunt argumenta quibus probatur Graecis primitus sonos in gravitatem ascendere esse visos, in acumen autem descendere (cf. Ian l. l.). Nos quidem in scalis et sonis enumerandis ordimur ab imis et depressis, Graecis vero gravissimus sonus audiebat ὑπάτη, et — id quod Ianum l. l. fugit — in eo notarum systemate, quod constat ex litteris ΑΒΓ eqs., Α notat sonum acutissimum (cf. Riemann Handbuch der Musikgeschichte I 1 p. 57 et 221). Sic ἄνω significat graviores sonos [Aristot.] Probl. 19, 47 p. 108, 5 (οἱ παλαιοὶ) ἐχρῶντο - μέσῃ τῇ ἐσχάτῃ τοῦ ἐπὶ τὸ ὀξὺ πυκνοῦ· διὸ καὶ μέσην αὐτὴν προσηγόρευσαν, ὅτι ἦν τοῦ μὲν ἄνω (i. e. gravioris) τετραχόρδου τελευτή, τοῦ δὲ κάτω ἀρχή. Sed complures communi sensui absque omni doctrina exstiterunt causae, cur in acumen vox videretur ascendere. Vel per se difficilius est acutum sonum edere propter maiorem pulmonis vocisque tensionem (v. i. p. 52), praeterea saepissime cum acumine crescit vis atque ictus (v. i. p. 52 ex.) et enitentem cum crescente labore quasi montem ascendere sibi videri par est, unde facile praesto erat ascendendi (in acumen) similitudo. Haec primum apparet in voce ὄρθιος de vehementibus subitisque clamoribus dicta, quae non solum magnitudinem vocis notat, sed etiam acumen plerumque celeriter arreptum, cf. Hom. Λ 11 ἤϋσε θεὰ (Eris) μέγα τε δεινόν τε ὄρθι(α); hymn. Cer. 20 Proserpina cum raperetur ἰάχησε δ' ἄρ' ὄρθια φωνῇ, κεκλομένη πατέρα Κρονίδην (v. 81 de eo clamore Sol matri narrat ἁρπάξας ἵπποισιν ἄγεν μεγάλα ἰάχουσαν, cf. Pind. Nem. 10, 75); Pind. Ol. 9, 108 ad cantorem: τοῦτο δὲ προσφέρων ἄεθλον (i. e. cantum) ὄρθιον ὤρυσαι θαρσέων, ubi schol. ὀξὺ καὶ μέγα, ἀνατεταμένον (v. i.). Euripides bis hac voce utitur de tuba (Heraclid. 830, Troad. 1266, cf. Poll. 4, 85), cuius sono inest penetrans illud et recte ascendens; praet. cf. Pind. Nem. 10, 75; Aesch. Choeph. 751, Pers. 389, Ag. 1153, Pers. 1050, Ag. 29, 1120, Choeph. 271; Soph. Ant. 1206 (cf. Ai. 321), El. 683, Ichneut. 40 Hunt; Andoc. 1, 29 quem affert Suidas v. ἀνωρθίαζον. Ita ἄνω[1]) significat

1) Misere corruptum est Aristophanis fr. 605 K. (Poll. 4, 114): ἀναζυγῶσαι δὲ τὸ φθέγμα ἔλεγον, καὶ καταπεπνῖχθαι τὸ φθέγμα· καὶ

acutam regionem [Arist.] Probl. 19, 37 p. 97, 16 sq. et 19, 3 p. 78, 4; cf. etiam vocem ἀνατεταμένος Probl. 19, 37 (l. l.), schol. Pind. Ol. 9, 108 modo laudatum et ἀνάτασις de accentu acuto in accentus fine Dionysii Thracis p. 6 Uhl.; contra Hippocrat. Coac. Praenot. I 272 Kühn vox (in gravitatem) rupta vocatur κατακλωμένη (cf. infr. de Glauco Samio). Certe Stoici putaverunt acumen in altitudinem ascendere; nam eos secutus Varro apud [Serg.] de acc. p. 525, 24 K. (test. 2a Schöll) exponit „vocem sicut omne corpus tres habere distantias: longitudinem altitudinem crassitudinem. longitudinem tempore ac syllabis metimur. — altitudinem discernit accentus cum pars verbi aut in grave deprimitur aut sublimatur in acutum"; cf. Schöll. test. 2b, 2c, 3 eqs.; Cic. de oratore III 61, 226. 227 „mitte, obsecro, inquit, Crasse, Iulius, sermonem istum et te ad Gracchi fistulam refer, quoius ego nondum plane rationem intellego. In omni voce, inquit Crassus, est quiddam medium, sed suum quoique voci. Hinc gradatim ascendere vocem et suavest — nam a principio clamare agreste quiddamst — et idem illud ad firmandam est vocem salutare. Deinde est quiddam contentionis extremum, quod tamen interius est quam acutissimus clamor, quo te fistula progredi non sinet, et tamen ab ipsa contentione revocabit. Est item contra quiddam in remissione gravissimum quoque tamquam sonorum gradibus descenditur[1]." Ergo et nostra sonos appellandi ratio recedit ad Romanos Graecosque aevi Alexandrini.

Iam tenemus locum inferiorem et superiorem, inter quos vox commeat. Qui vocis motus spectatur in quavis sonorum

---

Ἀριστοφάνης πού φησι „φθέγξαι σὺ τὴν φωνὴν ἀνατειχίσας ἄνω." „ἀνατειχίσας F, ἀνατυχήσας S, ἀναστοιχήσας A, ἀνατοιχήσας Wackernagel, ἀναστήσας Bergk fr. com. II p. 1183" Bethe ad locum. Latet audacior metaphora; an ἀνατοξεύσας? Vox sive lingua cum sagitta sim. comparatur e. g. Aesch. Suppl. 446, Eum. 676; Pind. Ol. 2, 91; 13, 93; Isthm. 2, 35; Nem. 6, 28; 7, 71; Pyth. 1, 86; [Arist.] Probl. 11, 6 p. 62, 5 I. Omnino tales translationes facile suppeditavit memoria vocis ὀξύς.

1) cf. etiam Horat. Sat. 1, 3, 7 sq., de quo loco recte A. Goldbacher Στρωματεῖς (Grazer Festgabe zur 50. Vers. d. Phil. 1909) p. 16 sqq., et Nigidii Figuli fr. 9 Funaioli.

serie, non in melodia tantum, sicuti etiam longae brevesve syllabae in omni sermone inveniuntur. Sed ut rhythmus eas in ordinem digerit, sic ex vocis motu intervallis harmonicis fit cantus. Haec est doctrina Platonis senis, quam saepius exponit in Legibus, Pythagoreos fortasse secutus (v. i.), cf. 653 e φησὶ δὲ (ὁ λόγος) τὸ νέον ἅπαν ὡς ἔπος εἰπεῖν τοῖς τε σώμασι καὶ ταῖς φωναῖς ἡσυχίαν ἄγειν οὐ δύνασθαι, κινεῖσθαι δὲ ἀεὶ ζητεῖν καὶ φθέγγεσθαι, τὰ μὲν ἁλλόμενα καὶ σκιρτῶντα, οἷον ὀρχούμενα μεθ' ἡδονῆς καὶ προσπαίζοντα, τὰ δὲ φθεγγόμενα πάσας φωνάς. τὰ μὲν οὖν ἄλλα ζῷα οὐκ ἔχειν αἴσθησιν τῶν ἐν ταῖς κινήσεσι τάξεων οὐδὲ ἀταξιῶν, οἷς δὴ ῥυθμὸς ὄνομα καὶ ἁρμονία· ἡμῖν δὲ οὓς εἴπομεν τοὺς θεοὺς συγχορευτὰς δεδόσθαι, τούτους εἶναι καὶ τοὺς δεδωκότας τὴν ἔνρυθμόν τε καὶ ἐναρμόνιον αἴσθησιν μεθ' ἡδονῆς, ᾗ δὴ κινεῖν τε ἡμᾶς καὶ χορηγεῖν ἡμῶν τούτους, ᾠδαῖς τε καὶ ὀρχήσεσιν ἀλλήλοις ξυνείροντας, χορούς ὠνομακέναι τὸ παρὰ τῆς χαρᾶς ἔμφυτον ὄνομα; 664 e εἴπομεν - κατ' ἀρχὰς τῶν λόγων (i. e. loco modo l.), ὡς ἡ φύσις ἁπάντων τῶν νέων διάπυρος οὖσα ἡσυχίαν οὐχ οἵα τε ἄγειν οὔτε κατὰ τὸ σῶμα οὔτε κατὰ τὴν φωνὴν εἴη, φθέγγοιτο δ' ἀεὶ ἀτάκτως καὶ πηδῷ· τάξεως δ' αἴσθησιν τούτων ἀμφοτέρων τῶν ἄλλων μὲν ζῴων οὐδὲν ἐφάπτοιτο, ἡ δὲ ἀνθρώπου φύσις ἔχοι μόνη τοῦτο· τῇ δὴ τῆς κινήσεως τάξει ῥυθμὸς ὄνομα εἴη, τῇ δ' αὖ τῆς φωνῆς, τοῦ τε ὀξέος ἅμα καὶ βαρέος συγκεραννυμένων, ἁρμονία ὄνομα προσαγορεύοιτο, χορεία δὲ τὸ ξυναμφότερον κληθείη; 672 e ὅλη μέν που χορεία ὅλη παίδευσις ἦν ἡμῖν, τούτου δ' αὖ τὸ μὲν ῥυθμοί τε καὶ ἁρμονίαι, τὸ κατὰ τὴν φωνήν. — τὸ δέ γε κατὰ τὴν τοῦ σώματος κίνησιν ῥυθμὸν μὲν κοινὸν τῇ τῆς φωνῆς εἶχε κινήσει, σχῆμα δὲ ἴδιον. ἐκεῖ δὲ μέλος ἡ τῆς φωνῆς κίνησις. Qui loci invicem se supplent et explicant. Primo loco harmonia i. e. ordo sonorum intervallis harmonicis distinctus (v. i.) dicitur τάξις κινήσεως, altero τάξις φωνῆς in mixtura acuminis et gravitatis, quibus efficitur τάξις φωνῆς κινουμένης, quae fundamentum est τοῦ μέλους, quod tertio loco dicitur κίνησις τῆς φωνῆς. Scilicet Plato nil spectat nisi sonum musicum, neglexit τὸν ψόφον, qui tamen latet sub ἀταξίᾳ τῆς κινουμένης φωνῆς.

Platonis vestigia pressit Aristoxenus, qui Harm. (I) 8

discrimen quod intercedit inter motum vocis musicae et alterius, quae non distincta est intervallis harmonicis — Platonis ἀταξία — luculenter exponit. Secundum Nicomachum enchir. p. 238, 18 I. iam Pythagorei [1]) praeierant, cui libens fidem habeo, siquidem etiam Archytas fr. 1 (loc. attuli p. 29 ex.) respexit sonos qui eduntur in sermone [2]). Tum etiam Platonis μέλος ἡ τῆς φωνῆς κίνησις Pythagoreis debetur, id quod non est mirum in posterioribus eius scriptis. Aristoxeni autem verba ut solent nimis copiosa solliciteque iterata quantum fieri potest in brevissimum contracta sunt haec (p. 96, 18): πρῶτον μὲν οὖν ἁπάντων τὴν τῆς φωνῆς κίνησιν διοριστέον τῷ μέλλοντι πραγματεύεσθαι περὶ μέλους αὐτὴν τὴν κατὰ τόπον. οὐ γὰρ εἷς τρόπος αὐτῆς ὢν τυγχάνει· κινεῖται μὲν γὰρ καὶ διαλεγομένων ἡμῶν καὶ μελῳδούντων τὴν εἰρημένην κίνησιν, ὀξὺ γὰρ καὶ βαρὺ δῆλον ὡς ἐν ἀμφοτέροις τούτοις ἔνεστιν — αὕτη δ' ἐστὶν ἡ κατὰ τόπον καθ' ἣν ὀξύ τε καὶ βαρὺ γίγνεται — ἀλλ' οὐ ταὐτὸν εἶδος τῆς κινήσεως ἑκατέρας ἐστίν. p. 101, 19 πάσης δὲ φωνῆς δυναμένης κινεῖσθαι τὸν εἰρημένον αὐτὸν τρόπον δύο τινές εἰσιν ἰδέαι κινήσεως, ἥ τε συνεχὴς καὶ ἡ διαστηματική. κατὰ μὲν οὖν τὴν συνεχῆ τόπον τινὰ διεξιέναι φαίνεται ἡ φωνὴ τῇ αἰσθήσει οὕτως ὡς ἂν μηδαμοῦ ἱσταμένη μηδ' ἐπ' αὐτῶν τῶν περάτων κατά γε τὴν τῆς αἰσθήσεως φαντασίαν, ἀλλὰ φερομένη συνεχῶς μέχρι σιωπῆς, κατὰ δὲ τὴν ἑτέραν ἣν ὀνομάζομεν διαστηματικὴν ἐναντίως φαίνεται κινεῖσθαι· διαβαίνουσα γὰρ ἵστησιν αὑτὴν ἐπὶ μιᾶς τάσεως εἶτα πάλιν ἐφ' ἑτέρας καὶ τοῦτο ποιοῦσα συνεχῶς — λέγω δὲ συνεχῶς κατὰ τὸν χρόνον — ὑπερβαίνουσα μὲν τοὺς περιεχομένους ὑπὸ τῶν τάσεων τόπους, ἱσταμένη δ' ἐπ' αὐτῶν τῶν τάσεων καὶ φθεγγομένη ταύτας μόνον αὐτὰς μελῳδεῖν λέγεται καὶ κινεῖσθαι διαστηματικὴν κίνησιν. 102, 20

---

1) De Pythagoreis Aristoxeni in hac re magistris cf. Deiters De Aristidis Quint. doctrinae harm. fontibus Progr. Marcodur. 1870 p. 12[4]; Ian. P.-W. II 1057, 39 sqq. De vocis motu egit Iohnson Musical pitch and the measurement of intervals among the Greeks, Baltimore 1896 p. 9 sqq.; idem The motion of voice, Balt. 1902; idem Transactions of the Am. phil. Ass. 30, 42—55.

2) Quonam id tendat, quod Porphyrius post hunc locum laudatum addit εἰπὼν δὲ καὶ ἄλλα περὶ τοῦ διαστηματικὴν (v. i.) εἶναι τὴν τῆς φωνῆς κίνησιν (p. 260 ex. Diels[2]), interim nescio.

τὴν μὲν οὖν συνεχῆ λογικὴν εἶναί φαμεν, διαλεγομένων γὰρ ἡμῶν οὕτως ἡ φωνὴ κινεῖται κατὰ τόπον ὥστε μηδαμοῦ δοκεῖν ἵστασθαι. κατὰ δὲ τὴν ἑτέραν ἣν ὀνομάζομεν διαστηματικὴν ἐναντίως πέφυκε γίγνεσθαι· ἀλλὰ γὰρ ἵστασθαί τε δοκεῖ καὶ πάντες τὸν τοῦτο φαινόμενον ποιεῖν οὐκέτι λέγειν φασὶν ἀλλ' ᾄδειν. διόπερ ἐν τῷ διαλέγεσθαι φεύγομεν τὸ ἱστάναι τὴν φωνήν, ἂν μὴ διὰ πάθος ποτὲ εἰς τοιαύτην κίνησιν ἀναγκασθῶμεν ἐλθεῖν, ἐν δὲ τῷ μελῳδεῖν τοὐναντίον ποιοῦμεν, τὸ μὲν γὰρ συνεχὲς φεύγομεν, τὸ δ' ἑστάναι τὴν φωνὴν ὡς μάλιστα διώκομεν. 103, 9 φανεροῦ δ' ὄντος ὅτι δεῖ τὴν φωνὴν ἐν τῷ μελῳδεῖν τὰς μὲν ἐπιτάσεις τε καὶ ἀνέσεις ἀφανεῖς ποιεῖσθαι, τὰς δὲ τάσεις αὐτὰς φθεγγομένην φανερὰς καθιστάναι, — ἐπειδὴ τὸν μὲν τοῦ διαστήματος τόπον ὃν διεξέρχεται ὁτὲ μὲν ἀνιεμένη ὁτὲ δ' ἐπιτεινομένη λανθάνειν αὐτὴν δεῖ διεξιοῦσαν, τοὺς δὲ ὁρίζοντας φθόγγους τὰ διαστήματα ἐναργεῖς τε καὶ ἑστηκότας ἀποδιδόναι — λεκτέον ἂν εἴη περὶ ἐπιτάσεως καὶ ἀνέσεως ἔτι δ' ὀξύτητος καὶ βαρύτητος πρὸς δὲ τούτοις τάσεως. ἡ μὲν οὖν ἐπίτασίς ἐστι κίνησις τῆς φωνῆς συνεχὴς ἐκ βαρυτέρου τόπου εἰς ὀξύτερον, ἡ δ' ἄνεσις ἐξ ὀξυτέρου τόπου εἰς βαρύτερον· ὀξύτης δὲ τὸ γενόμενον διὰ τῆς ἐπιτάσεως, βαρύτης δὲ τὸ γενόμενον διὰ τῆς ἀνέσεως; plerique tamen haec non quattuor esse putant, sed duo (v. s.); p. 104, 1 δεῖ δὲ πειρᾶσθαι κατανοεῖν εἰς αὐτὸ ἀποβλέποντας τὸ γιγνόμενον τί ποτ' ἐστὶν ὃ ποιοῦμεν ὅταν ἁρμοττόμενοι τῶν χορδῶν ἑκάστην ἀνιῶμεν ἢ ἐπιτείνωμεν; p. 110, 2 ὅτι μὲν οὖν διαστηματικὴν ἐν αὐτῷ (τῷ μέλει) δεῖ τὴν τῆς φωνῆς κίνησιν εἶναι προείρηται, ὥστε τοῦ γε λογώδους κεχώρισται ταύτῃ τὸ μουσικὸν μέλος· λέγεται γὰρ δὴ καὶ λογῶδές τι μέλος, τὸ συγκείμενον ἐκ τῶν προσῳδιῶν τῶν ἐν τοῖς ὀνόμασιν· φυσικὸν γὰρ τὸ ἐπιτείνειν καὶ ἀνιέναι ἐν τῷ διαλέγεσθαι.

Sic tandem reducti sumus ad voces τόνος sive τάσις, ἐπίτασις, ἄνεσις quae lumen acceperunt ab imagine loci. Aristoxenus igitur plane easdem voces nuncupat et de cantu et de sermone: τάσις, ἐπίτασις, ἄνεσις, μέλος, et ita quidem, ut omnino absit vehementiae ictusve notio, insit mera altitudo. Quod negat atque

pernegat in sermone inesse stabile quid atque firmum i. e. τάσιν, certe commotus est aequabili lenique fluctu sermonis Graeci, sed praeterea nimis videtur lyrae fuisse memor, cuius sane soni, dum tenduntur chordae confunduntur ut in iride colores (sic Ptolemaeus Harm. 1, 4 p. 16 W. de vocis motu continuo). Sed et ipse concedit plerosque confundere ἐπίτασιν cum ὀξύτητι, ἄνεσιν cum βαρύτητι, neque ceteri negant in sermone esse τάσιν, cf. e. g. Theon. Smyrn. 48, 7 H. φθόγγος εἶναι λέγεται οὐ πᾶσα φωνὴ οὐδὲ πάσης φωνῆς τάσις, ἀλλ' ἡ ἐναρμόνιος; Aristid. Quint. p. 5 ex. Iahn πᾶσα μὲν οὖν ἁπλῆ κίνησις φωνῆς τάσις, ἡ δὲ τῆς μελῳδικῆς ἰδίως φθόγγος καλεῖται; cf. etiam Alexandr. Aphr. in Aristot. de sensu p. 126, 20. Itaque constat τόνον τάσιν ἐπίτασιν ἄνεσιν apud musicos physicosve etiam in sermone saepe (non dico semper) notasse meram altitudinem. Praeterea haec stirps altitudinem generaliter significat Aristot. de anim. procr. 786 b 7 τὰ μὲν βαρύφωνα τῶν ζῴων ἐστί, τὰ δ' ὀξύφωνα, τὰ δ' εὔτονα καὶ πρὸς ἀμφοτέρας ἔχοντα τὰς ὑπερβολὰς ἐμμέτρως. Εὔτονος igitur, cuius loco Plato Phil. 17 c habet ὁμότονος (v. i. p. 125), hic est ea vocis regio, quae medium obtinet locum inter acumen et gravitatem, cf. 787 a 2 ἕτερον τὸ βαρὺ καὶ ὀξὺ ἐν φωνῇ μεγαλοφωνίας καὶ μικροφωνίας — ἔστι γὰρ καὶ ὀξύφωνα μεγαλόφωνα καὶ μικρόφωνα βαρύφωνα ὡσαύτως, ὁμοίως δὲ καὶ κατὰ τὸν μέσον τόνον τούτων, i. e. gravitas vocis non idem est quod magnitudo neque acumen idem quod parvitas vocis; nam et in acumine edi possunt magni soni et in gravitate parvi, item in media inter utrumque vocis regione, cf. [Aristot.] de audib. 804 a 26 sqq. qui exponit λιγυρὰς φωνάς non esse ἐν τόνοις ἀνιεμένοις καὶ βαρέσιν. Denique Aristoteli ἀπότασις generaliter, et intra et extra musicam, idem est quod altitudo „Tonhöhe"[1]): de musicis sonis usurpatur de anima 420 b 7 οἷον αὐλὸς καὶ λύρα καὶ ὅσα ἄλλα τῶν

---

1) cf. Graf De musica p. 17; Ian ad Aristot. de anima II 8 p. 6, 9; dolendum est hunc eius vocis usum non factum esse sollemnem; nam sic Graeci, ut totam vocis regionem significarent, coacti erant dicere ὀξύτης καὶ βαρύτης, nisi quidem breviter dicebant ὀξύτης, cf. Stumpf p. 193.

ἀψύχων ἀπότασιν ἔχει καὶ μέλος καὶ διάλεκτον (sc. κρουματικήν, cf. Graf l. l.), de quovis sono animal. hist. 545 a 15 διαφέρει ἡ φωνὴ τῶν ἀρρένων καὶ τῶν θηλειῶν ἐν τῷ βαρύτερον φθέγγεσθαι τὰ ἄρρενα τῶν θηλειῶν, ὅσων ἔστιν ἀπότασις τῆς φωνῆς.

Postquam vidimus etiam in sermone stirpem τόνος interdum expressisse meram altitudinem, pergendum est ad vehementiam ictumque. Et initium quidem capiendum est ab ipso acumine, quod etiamsi procul habemus chordae intentae memoriam — quae hucusque omnibus fere, quos de voce et sonis attulimus locis aliquatenus vigebat — non efficitur absque labore quodam vehementiave. Acumen vocis fit vehementi ideoque celeri motu acris pulsi[1]) (cf. Ian ad Probl. 11, 14). Et licet plerique diligenter distinguant magnitudinem et acumen, tamen Platoni Politic. 306 e ut in sensu et corpore, ita in voce synonyma sunt τάχος σφοδρότης ὀξύτης. Item musici physicive saepius dicunt acutos sonos cum maiore edi labore quam graves, cf. [Arist.] Probl. 19, 37 διὰ τί τοῦ ἐν φωνῇ ὀξέος ὄντος κατὰ τὸ

1) Non opus est hic fusius tractare physicorum de voce audituque opiniones: vocem esse ἀέρα πεπληγμένον sive ἀέρος πλῆξιν, Archelai 323, 22 Diels[2], Democriti 372, 22; 374, 24 sqq.; 375, 6; Empedoclis 168, 29; Diogenis 332, 14; Archytae 258, 13; 260, 10; 261, 1 (256, 40); Platonis Tim. 67 b, 80 a; Aristotelis animal. procr. 5, 7; de anima 2, 8 (de Laso Herm. et Hippaso Metapont. cf. Theon. p. 59, 7); quibus omnibus fere locis commemoratur motus vocis physicus (non ille κατὰ τόπον); praeterea cf. [Arist.] de audib. 803 b 26, Probl. p. 76, 13; 100, 14; 104, 5; 111, 11; Aristox. p. 104, 23 sq.; 124, 4 sq.; 134, 27; Euclid. Sect. can. p. 148 Ian; Ptolemaei Harm. 1, 3 passim. — Multo rarior erat altera opinio τὴν φωνὴν εἶναι ἀέρα ἐσχηματισμένον quam impugnant auctor de audib. p. 800 a 3 et Strato apud Alex. in Arist. de sensu p. 126, 19 sqq., quam inter Peripateticos disputatam esse ostendit Probl. 11, 51 (cf. Iani notam) et quae quodammodo nitebatur ipsius Aristotelis auctoritate — id quod adhuc effugit v. doctos —, cf. de sensu 446 b 5, ubi quaeritur num imagines tantum rerum percipiamus sensibus interdum etiam mutatas: ὁ ψόφος saltem ἤδη γεγενημένης τῆς πληγῆς οὔπω πρὸς τῇ ἀκοῇ (sc. ἐστίν). δηλοῖ δὲ τοῦτο καὶ ἡ τῶν γραμμάτων μετασχημάτισις (si alia audimus atque dicta sunt), ὡς γιγνομένης τῆς φορᾶς ἐν τῷ μεταξύ· οὐ γὰρ τὸ λεχθὲν φαίνονται ἀκηκοότες διὰ τὸ μετασχηματίζεσθαι φερόμενον τὸν ἀέρα. Nam ὁ ἀήρ si potest μετασχηματίζεσθαι, sane ab initio quodammodo formatur.

ὀλίγον, τοῦ δὲ βαρέος κατὰ τὸ πολύ (τὸ μὲν γὰρ βαρὺ διὰ τὸ πλῆθος βραδύ, τὸ δὲ ὀξὺ δι' ὀλιγότητα ταχύ) ἔργον μᾶλλον ᾄδειν τὰ ὀξέα ἢ τὰ βαρέα, καὶ ὀλίγοι τὰ ἄνω δύνανται ᾄδειν, καὶ οἱ νόμοι ὄρθιοι καὶ οἱ ὀξεῖς χαλεποὶ ᾆσαι διὰ τὸ ἐπιτεταμένοι εἶναι —; cf. Probl. 19, 3 p. 78, 7 τὸ δὲ χαλεπὸν διὰ τὴν ἐπίτασιν καὶ πίεσιν τῆς φωνῆς [1]). Vox acuta editur cum pulmonis intentione, cf. Archytae fr. 1 p. 259, 13; [Aristot.] de audib. 803 a 5. Praetera Peripatetici illi problematum auctores, Aristotelem de animal. procreat. p. 10 Ian quadamtenus secuti (qui exponit τῇ τῶν νεύρων συντονίᾳ pulmonem superare aeris copiam, unde tamen tum graves soni edantur propter multitudinem aeris, tum acuti propter vehementiam motus) contenderunt acutos sonos fieri omnino cum nervorum intentione, cf. Probl. 11, 15 (ubi Ianus confert 11, 50. 56. 14): διὰ τί οἱ κλαίοντες ὀξὺ φθέγγονται, οἱ δὲ γελῶντες βαρύ; — ἢ ὅτι οἱ μὲν κλαίοντες συντείνοντες καὶ συνάγοντες τὸ στόμα φωνοῦσι. τῇ δὲ δὴ συντονίᾳ κινεῖται ταχὺ ὁ ἐν αὐτοῖς ἀήρ, καὶ τῷ διὰ στενοῦ τοῦ στόματος φέρεσθαι θᾶττον φέρεται· δι' ἄμφω οὖν ὀξεῖα γίνεται ἡ φωνή. οἱ δὲ γελῶντες ἀνέντες τὸν τόνον (i. e. tensionem nervorum) γελῶσι καὶ κεχηνότες. ἐκπέμποντες οὖν διὰ τοῦτ' εὐρέως καὶ βραδέως τὸν ἀέρα εἰκότως βαρυφωνοῦσιν; 11, 56 διὰ τί τοῦ μὲν χειμῶνος ὀξύτερον φθέγγονται καὶ νήφοντες, θέρους δὲ καὶ μεθύοντες βαρύτερον; — ἢ ὅτι ὀξυτέρα μέν ἐστιν ἡ ταχυτέρα, ταχυτέρα δέ ἐστιν ἡ ἀπὸ συντεταμένου φωνή. τῶν δὲ νηφόντων καὶ ἐν τῷ χειμῶνι τὰ σώματα συνέστηκε μᾶλλον.

Porro si vel merum acumen fit cum intentione vocis pulmonis totius corporis, eo plus tensionis, laboris inest in sonis vehementibus, magnis, praesertim cum plerumque cum acumine coniuncti sint. Quare in cotidiano sermone et a poetis qui procul sunt ab omni subtilitate physicorum musicorumve, stirps τεν- adhibetur de voce vehementi, magna eademque acuta, i. e. de quovis clamore atque vociferatione, interdum etiam de magnitudine soni ab acumine et gravitate discreta. Sic

1) cf. Aristot. Polit. 1342 b 20 (cf. 1290 a 19 sq.), Plutarch. an seni sit g. rp. c. 18. Sed consulto omisi τὰς συντόνους καὶ ἀνειμένας ἁρμονίας, quae primum occurrunt Pratinae fr. 5, sed quas nemo adhuc explicavit.

τείνειν βοήν sim. est „cum vehementi tensione edere clamores magnos acutosque", cf. Aesch. Pers. 574 στένε καὶ δακνάζου, βαρὺ δ' ἀμβόασον οὐράνι' ἄχη, ὀᾶ ⟨ὀᾶ⟩, τεῖνε δὲ δυσβάϋκτον βοᾶτιν τάλαιναν αὐδάν; Eur. Med. 201 poeta vituperat priores οἵτινες (192) ὕμνους ἐπὶ μὲν θαλίαις ἐπί τ' εἰλαπίναις καὶ παρὰ δείπνοις ηὕροντο βίου τερπνὰς ἀκοάς· στυγίους δὲ βροτῶν οὐδεὶς λύπας ηὕρετο μούσῃ καὶ πολυχόρδοις ᾠδαῖς παύειν, ἐξ ὧν θάνατοι δειναί τε τύχαι σφάλλουσι δόμους. καίτοι τάδε μὲν κέρδος ἀκεῖσθαι μολπαῖσι βροτούς· ἵνα δ' εὔδειπνοι δαῖτες, τί μάτην τείνουσι βοήν; τὸ παρὸν γὰρ ἔχει τέρψιν κτλ. Item in adiectivis ὑπέρτονος, σύντονος, εὔτονος, ὀξύτονος[1]) inest notio vehementiae et acuminis, ut accedant ad ὀξύς primaria vi positum (cf. Aristoph. Ach. 804 ὡς ὀξὺ πρὸς τὰς ἰσχάδας κεκράγατε), cf. Aristoph. Nub. 1154 (= Soph. fr. 451, Eur. fr. 623) βοάσομαί τἄρα τὰν ὑπέρτονον βοάν· ἰώ, κλάετ' ὦβολοστάται, Aesch. Eum. 569 σάλπιγξ · ὑπέρτονον γήρυμα φαινέτω στρατῷ, Hippocr. de morbo sacr. I 592 Kühn ἢν δὲ ὀξύτερον καὶ εὐτονώτερον φθέγγηται, ἵππῳ εἰκάζουσι, Epidem. III 647 Kühn ἀναπηδῶσαν καὶ βοῶσαν ἐξαίφνης καὶ συντόνως, ὥσπερ ἂν ἐκ πληγῆς καὶ δεινῆς ὀδύνης καὶ φόβου; Soph. El. 243 πτέρυγας ὀξυτόνων γόων, Ai. 631 ὀξυτόνους ᾠδὰς θρηνήσει. τόνος sic praeter acumen etiam est vehementia, magnitudo vocis, cf. Aristoph. Vesp. 337 ἀλλὰ μὴ βοᾶτε· καὶ γὰρ τυγχάνει οὑτοσὶ πρόσθεν καθεύδων. ἀλλ' ὕφεσθε τοῦ τόνου; Aeschin. 3, 210 (cf. 209) τίς ἡ κραυγή; τίς ὁ τόνος τῆς φωνῆς. Praecipue notandus est loc. Xen. Cyn. 6, 20 (quem affert Vendryes Traité p. 21 ex.) ἐγκελεύειν, τοὔνομα μεταβάλλοντα ἑκάστης τῆς κυνός, ὁποσαχῇ οἷόν τ' ἂν ᾖ τοὺς τόνους τῆς φωνῆς ποιούμενον, ὀξύ, βαρύ, μικρόν, μέγα; cf. etiam Alexidis com. fr. 169 II p. 359 K. οὐκ ἔχω γὰρ ἄλλ' ὅ τι εἴπω τοναίας τηλικαύτης (i. e. tanti clamoris) ἄξιον.

---

1) ὀξύτονος, βαρύτονος in accentibus non occurrunt ante tempora posteriorum grammaticorum, qui fixum artis vocabulorum usum sequuntur. — τόνος hic sensu musico sine vehementiae notione positum apparet vel ex composito βαρύτονος; cf. etiam Cleonid. p. 204, 16 I. ὁ δὲ ὡς τάσις τόνος λέγεται, καθ' ὅ φαμεν ὀξυτονεῖν τινα ἢ βαρυτονεῖν ἢ μέσῳ τῷ τῆς φωνῆς τόνῳ κεχρῆσθαι.

Sane perincommode accidit, quod sic magnitudo et acumen vocis confundebantur. Accedit quod vox ὀξύς numquam plane deposuit vim primariam, in qua plus inerat vehementiae. Sic laborare videmus his difficultatibus auctorem Physiognomicorum Aristotelicorum, qui certe non fuit musicus aut vocis tractandae praecipue studiosus: p. 806 b 26 ei vox ἐπιτεινομένη est magna, ἀνειμένη remissa atque parva: ἐπὶ δὲ τῆς φωνῆς ἡ μὲν βαρεῖα καὶ ἐπιτεινομένη ἀνδρεῖον, ἡ δὲ ὀξεῖα καὶ ἀνειμένη δειλόν, cf. 813 b 3 ὅσοι μαλακὸν ἄτονον φωνοῦσι, πραεῖς· ἀναφέρεται ἐπὶ τὰς ὄϊς (opponitur ὀξὺ καὶ ἐγκεκραγός). Sed idem sentit plerumque tensionem in acumine spectari, cf. 807 a 13 περὶ φωνῆς κατὰ μὲν τὸ πάθος ἐπισκοπῶν ὀξεῖαν οἰηθείη ἄν τις δυεῖν ἕνεκεν τιθέναι τοῦ θυμοειδοῦς. ὁ γὰρ ἀγανακτῶν καὶ ὀργιζόμενος ἐπιτείνειν εἴωθε τὸν φθόγγον καὶ ὀξὺ φθέγγεσθαι, ὁ δὲ ῥᾳθύμως διακείμενος τόν τε τόνον ἀνίησι καὶ βαρὺ φθέγγεται. τῶν δ' αὖ ζῴων τὰ μὲν ἀνδρεῖα βαρύφωνά ἐστι, τὰ δὲ δειλὰ ὀξύφωνα, λέων μὲν καὶ ταῦρος καὶ κύων ὑλακτικὸς καὶ τῶν ἀλεκτρυόνων οἱ εὔψυχοι βαρύφωνον φθέγγονται· ἔλαφος δὲ καὶ λαγὼς ὀξύφωνά ἐστιν. ἀλλ' ἴσως καὶ ἐν τούτοις κρεῖσσόν ἐστι μὴ ἐν τῷ βαρεῖαν ἢ ὀξεῖαν εἶναι τὴν φωνὴν αὐτῶν ἀνδρεῖον ἢ δειλὸν τιθέναι, ἀλλ' ἐν τῷ τὴν μὲν ἐρρωμένην ἀνδρείου, τὴν δὲ ἀνειμένην καὶ ἀσθενῆ δειλοῦ ὑποληπτέον εἶναι. Tam non certae igitur fuerunt horum vocabulorum vices, ut pro ἐπιτεινομένῃ poneret ἐρρωμένην et ἀνειμένῃ adderet ἀσθενῆ. Itaque si voces τόνος, τάσις, ἐπιτεταμένη, ἀνειμένη de accentibus dictas inveniemus, ex earum ipsarum indole non poterimus diiudicare, num merum acumen notent an vehementiam an utrumque. Comparanda erunt cetera vocabula prosodiaca et quaerendum, quisnam posuerit illas; nam vidimus musicos praecipue eas adhibuisse de mera altitudine.

De voce ἁρμονία.

Sicuti eae de quibus modo egimus voces, ita etiam ἁρμονία de lyra ad sonos musicos indeque ad sermonem pervenit. Quae vox est forma feminina adiectivi ἁρμόνιος ducti

a substantivo ἅρμων, quod quid significet apparet ex Homeri verbis E 59 sqq.:

Μηριόνης δὲ Φέρεκλον ἐνήρατο, Τέκτονος υἱὸν
Ἁρμονίδεω, ὃς χερσὶν ἐπίστατο δαίδαλα πάντα
τεύχειν· ἔξοχα γάρ μιν ἐφίλατο Παλλὰς Ἀθήνη·
ὃς καὶ Ἀλεξάνδρῳ τεκτήνατο νῆας ἐίσας —[1]).

Phereclus est filius Tectonis, Harmonis nepos, quorum uterque erat faber tignarius. Itaque ἅρμων[2]) est is qui tigna coniungit aptatque, et quam proxime accedunt vocabula ἅρμα et ἁρμός. Ἁρμός 1) est iungendi instrumentum, clavus sive vinculum, cf. Eur. fr. 360, 12 ὅστις δ' ἀπ' ἄλλης πόλεος οἰκήσῃ πόλιν (opponuntur αὐτόχθονες), ἁρμὸς πονηρὸς ὥσπερ ἐν ξύλῳ παγείς, λόγῳ πολίτης ἐστί, τοῖς δ' ἔργοισιν οὔ; 2) significat structurae compages, quibus opus continetur, cf. Eur. Hipp. 825 χαλᾶτε κλῆθρα, πρόσπολοι, πυλωμάτων ἐκλύετ' ἁρμούς; cf. Med. 1315; fr. 472, 8; 781, 45; Hippocrat. de corde I 491 Kühn, Tim. Locr. de anima 102b; 3) est tota congeries, veluti tumulus lapidibus structus, cf. Soph. Ant. 1216 ἴτ' ἆσσον ὠκεῖς καὶ παραστάντες τάφῳ ἀθρήσαθ', ἁρμὸν χώματος λιθοσπαδῆ δύντες. Ab eadem stirpe derivantur adi. ἁρμόδιος, aptus, cf. Theogn. 421 πολλοῖς ἀνθρώπων γλώσσῃ θύραι οὐκ ἐπίκεινται ἁρμόδιαι, et verbum ἁρμόζειν adaptare, coniungere, cf. ε 162 δούρατα μακρὰ ταμὼν ἁρμόζεο χαλκῷ εὐρεῖαν σχεδίην, vern. „zimmere mit dem Beil", et ε 247 τέτρηνεν δ' ἄρα πάντα καὶ ἥρμοσεν ἀλλήλοισιν: tigna perforavit et ita disposuit, ut foramina coirent, cf. etiam Aristophanis isiciarium, qui lepidissime de educatione sua narrat (Eq. 1236) ἐν ταῖσιν εὔστραις κονδύλοις ἡρμοττόμην i. e. „wurde behauen" ut lapis quadratus. Verbum ἁρμόζειν sensu quidem intransitivo mature transferebatur ad omnia,

1) cf. Eur. Hel. 233 ὀλόμενον σκάφος συναρμόσας ὁ Πριαμίδας; Cycl. 460 ναυπηγίαν δ' ὡσεί τις ἁρμόζων ἀνήρ; translate Pind. Pyth. 3, 113 ἐξ ἐπέων κελαδεννῶν, τέκτονες οἷα σοφοὶ ἅρμοσαν (de imagine cf. Democriti fr. 21, Cratin. apud Aristoph. Eq. 530).

2) quod occurrit in composito πυκν-άρμων „densus" a Democrito usurpato p. 367, 37 Diels: κεραυνὸν δέ, ὅταν ἐκ καθαρωτέρων καὶ λεπτοτέρων ὁμαλωτέρων τε καὶ πυκναρμόνων (sc. ἀραιωμάτων), καθάπερ αὐτὸς γράφει, γεννητικῶν τοῦ πυρὸς ἡ φορὰ βιάζηται.

quae corpori (deinde menti [1])) apta erant; sic bis apud Homerum, T 333 θώρηκα περὶ στήθεσσιν ἔδυνεν -· ἥρμοσε δ' αὐτῷ, cf. P 210. Hic usus postea longe praevaluit. Adaptandi, iungendi instrumentum est ἡ ἁρμονία, cf. ε 248 (quem locum modo attuli) γόμφοισιν δ' ἄρα τήν γε καὶ ἁρμονίῃσιν ἄρασσεν. Itaque hic ἁρμονία, ut modo ἁρμός, est vinculi genus aliquod, sive uncus sive clavus, cf. ibid. 361 ὄφρ' ἂν μέν κεν δούρατ' ἐν ἁρμονίῃσιν ἀρήρῃ (cf. Parmenid. fr. 1, 20 Diels, Empedocl. fr. 96, 4), τόφρ' αὐτοῦ μενέω καὶ τλήσομαι ἄλγεα πάσχων. Deinde, sicuti ἁρμός, etiam dictum est de commissuris et de tota iunctura, cf. Herodot. 2,96 τὰς ἁρμονίας (commissuras navium) ἐπάκτωσαν τῇ βύβλῳ; Hippocrat. κατ' ἰητρεῖον II p 44, 14 Kühlewein τῶν διαστασίων τῶν κατὰ τὰς ἁρμονίας (suturas) ἐν τοῖσι κατὰ τὴν κεφαλὴν ὀστέοις ἐρεισμάτων χάριν, cf. περὶ ὀστέων φύσιος I p. 513 Kühn, Aristot. de part. animal. 654 b 18. De corporis harmonia cf. Epicratem comicum in Antilaide de Laide fr. 2,18 II p. 283 K. (prioris versus metrum turbatum) ἐπεὶ δὲ δόλιχον τοῖς ἔντεσιν ἤδη τρέχει, τὰς ἁρμονίας τε διαχαλᾷ τοῦ σώματος (plura affert Steph. Thes. v. ἁρμονία). Notandum est — id quod in hac quaestione est gravissimum — in voce ἁρμονία semper et per omnes translationes viguisse notionem primariam iungendi, quae saepe conspicua est in iis quae adduntur locutionibus, cf. Philolai fr. 6 p. 241, 11 τὰ μὲν γὰρ ὁμοῖα καὶ ὁμόφυλα ἁρμονίας οὐδὲν ἐπεδέοντο, τὰ δὲ ἀνόμοια μηδὲ ὁμόφυλα μηδὲ ἰσολαχῆ ἀνάγκα τᾷ τοιαύτᾳ ἁρμονίᾳ συγκεκλεῖσθαι, οἵᾳ μέλλοντι ἐν κόσμῳ κατέχεσθαι; Plat. Phaed. 86 c si corpus morbis solvitur, perit anima cum sit ἁρμονία, ὥσπερ καὶ αἱ ἄλλαι ἁρμονίαι αἵ τ' ἐν τοῖς φθόγγοις καὶ αἱ ἐν τοῖς τῶν δημιουργῶν ἔργοις πᾶσι. Ex posterioribus duos tantum affero, de sublimitate auctorem 40, 1: sicuti corpus vivit compositione atque iunctura membrorum, οὕτως τὰ μεγάλα (sc. in oratione) - σωματοποιούμενα - τῇ κοινωνίᾳ καὶ ἔτι δεσμῷ τῆς ἁρμονίας περικλειόμενα αὐτῷ τῷ κύκλῳ φωνήεντα γίνεται, et Ioannem Sic. in ideas VI 139, 14 Walz, qui veterem rhetorum usum secutus orationem comparat cum corpore humano et compositionem idem valere

---

1) cf. subst. ἁρμοστής praecipue Doricum, de quo v. P.-W.

dicit ταῖς τῶν ὀστῶν ἁρμονίαις (cf. etiam Roberts On literary composition 1910 ind. v. ἁρμονία).

Vox ἁρμονία antiquitus translata est ad hominum necessitudines, affinitatem, fœdera, amicitiam; ac primum quidem significavit coniugium, concubitum, ut apud Lucretium 4, 1240:

nam multum harmoniae Veneris differre videntur;
atque alias alii complent magis, ex aliisque
suscipiunt aliae pondus magis inque gravescunt,

etsi Romano poetae potius obversabatur notio mixturae, quae postea increbuit[1]). Sed apud Graecos quoque huius usus satis multa supersunt vestigia, cf. Nonn. Dionys. 3, 375 ὄφρα κε Κάδμῳ Ἁρμονίην ὀπάσειεν ἐς ἁρμονίην ὑμεναίων. Praeterea ἁρμόζειν τινὰ τινί significat „filiam despondere, in matrimonium dare alicui, cf. Pind. Pyth. 9, 117; Herodot. 9, 108; Eurip. El. 24. Secundum Pollucem 3, 35 ὁ πενθερὸς ἐγγυᾷ, ἁρμόζει, ὅθεν τινὲς τῶν παλαιῶν καὶ ἁρμοστὴν τὸν μνηστῆρα ἐκάλεσαν. Medium ἁρμοσάσθαι saepius idem est quod „desponsare sibi", cf. Herod. 5, 32; 47; 6, 65; 3, 137 (plura affert Steph. Thes.). Delphis Veneri nomen fuit Ἅρμα secundum Plutarch. Amator. c. 23 (cf. Drexler apud Roscherum s. v.), et ipsa Harmonia filia erat Martis et Veneris, quod primus testatur Hesiodus Theog. 937 (cf. Crusium apud Roscherum v. Harmonia). Harmonia sine dubio antiquitus eodem fungebatur munere quo postea Graecorum Aphrodite (cf. Pind. Pyth. 9, 13 καί σφιν ἐπὶ γλυκεραῖς εὐναῖς ἐρατὰν βάλεν [sc. Ἀφροδίτα] αἰδῶ, ξυνὸν ἁρμόζοισα θεῷ τε γάμον κτλ.) et fortasse ab ipso Hesiodo filia Veneris facta est. Sic in hymn. Apoll. Pyth. v. 16 sq. coniungitur cum Venere, Iuventute, Gratiis, Horis. Ceterum huius veteris deae nuptiarum memor fuit Empedocles, cum Harmoniam suam sive Venerem depingeret p. 179, 13 D.: Ἐ. τὴν ἀγαθουργὸν ἀρχὴν Φιλότητα καὶ Φιλίαν πολλάκις, ⟨ἔτι⟩ δ' Ἁρμονίαν καλεῖ θεμερῶπιν, cf. fr. 71, 4 ὅσα νῦν γεγάασι συναρμοσθέντ' Ἀφροδίτῃ, fr. 87

1) cf. Parmenid. fr. 18 (Cael. Aurel. Morb. chron. V 116 D Bas.) cum Dielesii nota: „femina virque simul Veneris cum germina miscent - diverso ex sanguine virtus temperiem servans" (i. e. prosa oratione ἂν ἁρμονικῶς κραθῇ) eqs.; cf. infr. Empedocl. fr. 23).

γόμφοις (nota vocis ἁρμονία vim primarium) ἀσκήσασα καταστόργοις Ἀφροδίτη, fr. 96:

ἡ δὲ χθὼν ἐπίηρος ἐν εὐστέρνοις χοάνοισι
τὼ δύο τῶν ὀκτὼ μερέων λάχε Νήστιδος αἴγλης,
τέσσαρα δ' Ἡφαίστοιο· τὰ δ' ὀστέα λευκὰ γένοντο
Ἁρμονίης κόλλησιν[1]) ἀρηρότα θεσπεσίηθεν.

De matrimonio vox ἁρμονία translata est ad ceteras necessitudines hominum[2]). De foedere dicitur X 255 (θεοὶ) γὰρ ἄριστοι μάρτυροι ἔσσονται καὶ ἐπίσκοποι ἁρμονιάων, cuius loco v. 261 ponitur συνημοσύναι, quae vox Ionicam olet dialectum, cum ἁρμονία ab initio ad Aeolos, Boeotos potius videatur redire (sicuti etiam Luciani „Harmonides" est homo Boeotus).

Quae arte coniunguntur, miscentur saepe, sicuti iam ab Homero mariti dicuntur coniugio misceri. Sic harmonia significat iustam mixturam apud Empedoclem fr. 23 (cui quidem iam obversatur Pythagoreorum harmonia numerorum rationi obnoxia; cf. etiam [Hippocrat.] de victu I 636 Kühn, Plat. Conv. 188a, Plin. n. h. 35, 5) ὡς δ' ὁπόταν γραφέες ἀναθήματα ποικίλλωσιν - οἵ τ' ἐπεὶ οὖν μάρψωσι πολύχροα φάρμακα χερσίν, ἁρμονίῃ μείξαντε („harmonisch mischend" Diels) τὰ μὲν πλέω, ἄλλα τ' ἐλάσσω. Mixtura qualitatum efficit φύσιν, quam ἁρμονία significat Eur. Hipp. 161, loco subobscuro: φιλεῖ δὲ τᾷ δυστρόπῳ γυναικῶν ἁρμονίᾳ κακὰ δύστανος ἀμηχανία συνοικεῖν ὠδίνων τε καὶ ἀφροσύνας, ubi haec ὠδίνων τε καὶ ἀφροσύνας unius instar locutionis sunt: infelix atque difficilis mulierum natura fere non sustinet partus dolores et prae doloribus demens est. Alia res est in ea harmonia, quae dei et fati instar mundum regere iam a poetis sexti quintive saeculi credebatur, in hac re Pythagoreos se-

1) cf. Aesch. Suppl. 310 ταῦτ' ἔλεξας πάντα συγκόλλως ἐμοί, i. e. ἁρμοζόντως.

2) Easdem quas ἁρμονία vices passa est cognata vox ἀρθμός, quae item ex iunctura facta est amor, amicitia, foedus, cf. hymn. Merc. 524 Λητοΐδης κατένευσεν ἐπ' ἀρθμῷ καὶ φιλότητι, μή τινα φίλτερον ἄλλον ἐν ἀθανάτοισιν ἔσεσθαι; cf. Aesch. Prom. 191, Hom. H 302, Apoll. Rhod. 2, 757; cf. ἀνάρσιος „infestus" Aesch. Ag. 511, Hesych. ἄρσιον· δίκαιον. Item ἡ ἀρτύς, vox Ionica, est et iunctura et amicitia, cf. Prellwitz s. v.

cutis. Qui usus explicatur nostra locutione „Fügung", cf. etiam ἄραρε positum pro δέδοκται Eur. Hipp. 1090, Menand. Epitrep. 185, saepius. Quae fatum sive deus iunxit, solvi nequeunt, cf. Aesch. Prom. 551 οὔποτε-τὰν Διὸς ἁρμονίαν ἀνδρῶν παρεξίασι βουλαί, Pind. Pyth. 8, 67 ὦναξ (Apollo), ἑκόντι δ' εὔχομαι νόῳ κατά τιν' ἁρμονίαν (fato quodam concedente) βλέπειν ἀμφ' ἕκαστον, ὅσα νέμομαι (quocum Christius confert Ol. 9, 26 εἰ σύν τινι μοιριδίῳ παλάμᾳ ἐξαίρετον Χαρίτων νέμομαι κᾶπον)[1]).

Iam antiquissimis temporibus haec de qua agimus stirps pervenit ad artem musicam, quippe quae tota pendeat ex congruentia omnium partium. Sic in Odyssea saltatores, „qui congruis motibus feruntur", dicuntur βητ-άρμονες: θ 250 ἀλλ' ἄγε, Φαιήκων βητάρμονες ὅσσοι ἄριστοι, παίσατε et 383 ἠμὲν ἀπείλησας βητάρμονας εἶναι ἀρίστους (cf. Apoll. Rhod. 1, 1135 βηταρμὸν ἐνόπλιον ὠρχήσαντο), et virgines Deliae, quae imitantur πάντων ἀνθρώπων φωνὰς καὶ κρεμβαλιαστύν, tam apta canunt et congrua (hymn. Apoll. Del. 164), ut ipse quispiam putet se vociferari: φαίη δέ κεν αὐτὸς ἕκαστος φθέγγεσθ'· οὕτω σφιν καλὴ συνάρηρεν ἀοιδή. Sed longe gravissimum fuit, quod in lyra chordae invicem coniunguntur et adaptantur, ἁρμόζονται, et ἁρμονία facta est apta iunctura chordarum lyrae; deinde ἁρμόζειν et ἁρμονία non solum de chordis, sed etiam de sonis chordarum et de quovis sono dicta sunt, neque mirabimur haec quoque gravissima vocabula musica sumpta esse de lyra.

Chordae invicem adaptantur secundum intervalla harmonica, i. e. eo usque intenduntur laxanturve[2]), dum prima et

1) Fortasse haec ex Orphicorum dicta sunt consuetudine (cf. hymn. Orph. in Apoll. 34, 20 κρίνεις βιοθρέμμονα φῦλα, ἁρμονίῃ κεράσας παγκόσμιον ἀνδράσι μοῖραν) — id quod in Aeschylo Pindarove non mirabimur —, etsi Orphicis iam obversabatur imago Apollinis lyra mundum regentis, cf. Scythin. fr. 1 Bgk., hymn. Orph. 34, 16 sqq., Varron. (ὄνος λύρας) sat. Men. fr. 351 B., quod affert Bergk P. L. II 507.

2) Dolendum est quod nondum accurate compertum habemus, quonam modo chordae iustam retinuerint tensionem; nam κόλλοπας semper fuisse ex callo sive panno quodam, Iano (Saiteninstrumente p. 14 sqq.) non contigit ut demonstraret.

quarta quaeque invicem afuerint diatessaron intervallo. Nam Graecos primo secundum diatessaron intervalla chordas in ordinem digessisse, sicuti nos cymbala ad diapente circuitum digerimus, ex ipsius doctrinae harmonicae vicibus primo obtutu apparet. Quae actio dicitur ἁρμόζειν sive ἁρμόζεσθαι, cf. Plat. Rp. 412 a τὸν κάλλιστ' ἄρα μουσικῇ γυμναστικὴν κεραννύντα καὶ μετριώτατα τῇ ψυχῇ προσφέροντα, τοῦτον ὀρθότατ' ἂν φαῖμεν εἶναι τελέως μουσικώτατον καὶ εὐαρμοστότατον, πολὺ μᾶλλον ἢ τὸν τὰς χορδὰς ἀλλήλαις ξυνιστάντα; Aristoxen. 1, 11 p. 104, 1 Macr. δεῖ δὲ πειρᾶσθαι κατανοεῖν (discrimen inter ὀξύτητα et ἐπίτασιν, βαρύτητα et ἄνεσιν) εἰς αὐτὸ ἀποβλέποντας τὸ γιγνόμενον τί ποτ' ἐστὶν ὃ ποιοῦμεν ὅταν ἁρμοττόμενοι τῶν χορδῶν ἑκάστην ἀνιῶμεν ἢ ἐπιτείνωμεν. Itaque ἁρμονία[1]), quae est talis iunctura[2]) chordarum, praecipue spectatur atque probatur consonantia; et cum prima et quarta quaeque chorda efficiant diatessaron intervallum, altera chorda in acuta, altera in gravi versatur regione, quae, ut natura oppositae sunt, ita consonantia miscentur atque coalescunt. Sic Heraclito, cui πόλεμος erat πάντων πατήρ, harmonia exstitit imago ordinis mundi, secundum quem omnes res amicae sunt invicem atque inimicae, cf. p. 61, 17 Ἡ. ἐπιτιμᾷ τῷ ποιήσαντι „ὡς ἔρις ἔκ τε θεῶν καὶ ἀνθρώπων ἀπόλοιτο" [C 107]· οὐ γὰρ ἂν εἶναι ἁρμονίαν μὴ ὄντος

---

1) Interdum etiam alia eiusdem stirpis adhibentur vocabula, quibus bene illustratur vocis ἁρμονία vis, veluti ἀρθμός Telest. fr. 4: ἄλλος (in hymenaeo) δ' ἄλλαν κλαγγὰν ἱεὶς κερατόφωνον ἠρέτιζε μάγαδιν, ἐν πενταράβῳ χορδᾶν ἀρθμῷ (sic Bergk; ἀριθμῷ cod. Athen. 14, 637 a, quod defendit Wilamowitz Die Perser des Timotheus p. 30[1]) χέρα καμψιδίαυλον ἀναστρωφῶν τάχος, i. e. „in fünftöniger Saitenfügung", ἐν πενταχόρδῳ ἁρμονίᾳ. Ἁρμογήν adhibuit Eupolis in Capris apud Poll. 4, 57: τὴν δ' ἁρμονίαν ἁρμογὴν Εὔπολις (fr. 11 K.) εἴρηκεν· ταύτην ἐγὼ ζητῶν πάλαι τὴν ἁρμογήν (fortasse Prodamus sophista quaesitae orationis studiosus loquitur); cf. Heraclidem sive Xenocratem apud Porphyr. in Ptol. 215 de Pythagora ἐπειράθη λόγῳ τινὶ ἑστῶτι (i. e. numerorum ratione) συνιδεῖν τὴν τῶν φθόγγων ἁρμογήν.

2) ἁρμονία est ζεῦγος (cf. Eurip. fr. 943, 2 ζεύξας ἁρμονίᾳ πολύκαρπον ὄχημα), etiam hominum. Sic pro ἁρμόζειν poetae dicunt ζευγνύναι quoque, cf. Timoth. Pers. 237 Τέρπανδρος δ' ἐπὶ τῷ (Ὀρφεῖ) δέκα ζεῦξε μοῦσαν ἐν ᾠδαῖς (i. e. χορδαῖς).

ὀξέος καὶ βαρέος οὐδὲ τὰ ζῷα ἄνευ θήλεος καὶ ἄρρενος ἐναντίων ὄντων; fr. 8 p. 63 Ἡ. τὸ ἀντίξουν συμφέρον καὶ ἐκ τῶν διαφερόντων καλλίστην ἁρμονίαν καὶ πάντα κατ' ἔριν γίνεσθαι. Ex quibus locis apparet ἁρμονίαν tum dudum fuisse artis vocabulum, in quo tamen ut omnibus temporibus vigebat notio primaria iuncturae.

Etiam magis consonantia animadvertebatur in harmonia, postquam Pythagorei viderunt sonos numeris esse obnoxios et primarias consonantias, diatessaron, diapente, diapason simplicibus numerorum rationibus contineri. Haec est illa Philolai (fr. 10) πολυμιγέων ἕνωσις καὶ δίχα φρονεόντων συμφρόνησις, quam illi numinis instar venerabantur. Quae translata est ad omnes res compositas, quarum partes misceri putabantur secundum intervallorum rationes, veluti ad alimentorum mixturam, cf. [Hippocrat.] de victu I 636 Kühn (de numeris Pythagoreorum harmonicis apud medicos vigentibus cf. Ilberg Studia pseudippocratea 1883 p. 57) ἢν δὲ μὴ τύχῃ τῆς ἁρμονίης (alimenta), μηδὲ ξύμφωνα βαρέα τοῖσιν ὀξέσι γένηται —. Harmonia ubique cernebatur, quin etiam anima Pythagorae et Philolao (cf. Zeller Philosophie der Griechen I⁴ 413 sqq.), quibus accessit Aristoxenus teste Cicerone Tusc. disp. I 10, 19, videbatur harmonia corporis esse, quam opinionem fusius tractant Plato Phaed. 86b sqq. et Aristoteles de anima 407b 27 sqq. Singulas quoque virtutes Plato saepius comparat cum harmonia, cf. Rp. 443d: iusti hominis est omnia officia exsequi μὴ ἐάσαντα τἀλλότρια πράττειν ἕκαστον ἐν αὑτῷ μηδὲ πολυπραγμονεῖν πρὸς ἄλληλα τὰ ἐν τῇ ψυχῇ γένη, ἀλλὰ τῷ ὄντι τὰ οἰκεῖα εὖ θέμενον καὶ ἄρξαντα αὐτὸν αὑτοῦ καὶ κοσμήσαντα καὶ φίλον γενόμενον ἑαυτῷ καὶ ξυναρμόσαντα τρία ὄντα (i. e. νοῦν, θυμόν, ἐπιθυμίαν) ὥσπερ ὅρους τρεῖς ἁρμονίας ἀτεχνῶς νεάτης τε καὶ ὑπάτης καὶ μέσης (sed aperte legendum est νεάτην τε καὶ ὑπάτην καὶ μέσην, qui sunt fines harmoniae et includunt tria illa intervalla, diapente, diatessaron, diapason) καὶ εἰ ἄλλα ἄττα μεταξὺ τυγχάνει ὄντα, πάντα ταῦτα ξυνδήσαντα κτλ.

Quibus locis omnibus in harmonia praecipue cernitur consonantia, quae fit mixtura acuminis et gravitatis, quare Plato harmoniam definit ordinem vocis, qui efficiatur ea mix-

tura Leg. 665a: τῇ δ' αὖ τῆς φωνῆς (τάξει), τοῦ τε ὀξέος ἅμα καὶ βαρέος συγκεραννυμένων, ἁρμονία ὄνομα προσαγορεύοιτο; cf. Tim. 80b (φθόγγοι ταχεῖς τε καὶ βραδεῖς, ὀξεῖς τε καὶ βαρεῖς) μίαν ἐξ ὀξείας καὶ βαρείας ξυνεκεράσαντο πάθην, quae delectet et corrigat διὰ τὴν τῆς θείας ἁρμονίας μίμησιν. Sic ipsa harmonia, cuius tamen fines latius patebant, quam proxime accedit ad symphoniam; interdum etiam confunduntur, praecipue in sermone vulgari, qui alienus est ab artis diligentia, cf. Plat. Rp. 430e ὥς γε ἐντεῦθεν ἰδεῖν, ξυμφωνίᾳ τινὶ καὶ ἁρμονίᾳ προσέοικε (ἡ σωφροσύνη). — πῶς; — κόσμος πού τις-ἡ σωφροσύνη ἐστί —; Crat. 405cd τὴν ἐν τῇ ᾠδῇ ἁρμονίαν, ἣ δὴ συμφωνία καλεῖται; cf. Tim. 47c, Rp. 591d. Praeterea in sermone vulgari eodem sensu nuncupabantur verba ἁρμόττειν et συμφωνεῖν translata. Sed multo gravius est, quod Aristoteles, qui Analyt. post. 90a 19 consonantiam explicat λόγον ἀριθμῶν ἐν ὀξεῖ καὶ βαρεῖ, eodem fere modo harmoniam definit de anima 407b 30 sqq.: ἁρμονίαν γάρ τινα αὐτὴν (τὴν ψυχὴν) λέγουσι· καὶ γὰρ τὴν ἁρμονίαν κρᾶσιν καὶ σύνθεσιν ἐναντίων εἶναι, καὶ τὸ σῶμα συγκεῖσθαι ἐξ ἐναντίων. καίτοι γε ἡ μὲν ἁρμονία λόγος τίς ἐστι τῶν μιχθέντων ἢ σύνθεσις (expectes ἢ συντεθέντων). Quare non mirabimur, quod Eryximachus Platonis (Conv. 187a sq.) Heracliti verba (fr. 51 p. 69) οὐ ξυνιᾶσιν ὅκως διαφερόμενον ἑωυτῷ ὁμολογέει· παλίντονος ἁρμονίη ὅκωσπερ τόξου καὶ λύρης interpretatur de acuminis et gravitatis differentia, quae harmonia sive consonantia tollatur, praesertim cum ipse Heraclitus saepius talia prolocutus sit (v. s.). Tamen errat divinus philosophus multosque alios in errorem induxit (non opus est eos enumerare, qui hunc locum conclamatum tractaverunt et partim verum suspicati sunt, cf. Diels Vors.[2] ad loc. et additament. II 2 p. VII.). Quid exprimere voluerit Heraclitus, dubium non est. Omnium rerum ordo conficitur contrariorum iunctura, cf. fr. 8 τὸ ἀντίξουν συμφέρον καὶ ἐκ διαφερόντων καλλίστην ἁρμονίαν καὶ πάντα κατ' ἔριν γίνεσθαι. Itaque iunctura est in voce ἁρμονία, rixa in voce παλίντονος. Quae explicatur cognata voce ἀντίτονος „contra enitens", cf. Plat. Tim. 62c τὸ δὲ ἐκ τετραγώνων ὂν βάσεων (σχῆμα), ἅτε βεβηκὸς σφόδρα, ἀντιτυπώτατον εἶδος, ὅ τί τε ἂν

εἰς πυκνότητα ξυνιὸν πλείστην ἀντίτονον ᾖ μάλιστα. Item παλίντονος est is, qui πάλιν τείνει (sive τείνεται). Sic Homeri arcus, ubi nervus τῇ κορώνῃ adaptatus est, utroque τοῦ κέρατος fine in contrariam partem tendit — nil enim aliud inesse in locutione παλίντονα τόξα τιταίνει sim. (cf. Θ 266 Κ 459 Ο 443) ostendit Aristoph. Av. 1739 ἡνίας εὔθυνε παλιντόνους —; et omnino omnis tensio facit, ut ab utroque fine sive funis sive nervi aliquis in contrariam partem trahere videatur. Iam tenemus in arcu τὴν παλίντονον ἁρμονίαν. Plane eadem res est in lyra, quam iam Homerus φ 407 cum arcu comparavit (cf. Aristot. Rhet. 1413 a 1 τόξον φόρμιγξ ἄχορδος), dummodo ne de compluribus chordis cogitemus sed de unaquaque. Singulas enim chordas in alteram partem tendit trahitque βατήρ sive χορδότονον (der Saitenhalter, cf. Ian Seiteninstr. p. 10 et adn. 65), in alteram κόλλοψ. Tamen efficitur sonus musicus et ex singulis sonis ἁρμονία, licet tensio sit quasi rixa perpetua. Et his ipsis partium inimicitiis et arcus et lyra quasi perficiuntur et proprium munus exsequuntur. En habes Heracliti philosophiam artissima adstrictam formula. Difficultas autem inerat in eo, quod harmonia porro retroque spectans Iani capitis instar et concretam significabat iuncturam et abstractam harmoniam. Neque Heraclitus, cum haec imago ei obversaretur, tales minutias curavit. Similis autem ambiguitas inest in duobus poetarum locis, quos hic liceat addere. Aristophanes Eq. 531 de Cratini ingenio senectute imminuto sic loquitur:

νυνὶ δ᾽ ὑμεῖς αὐτὸν ὁρῶντες παραληροῦντ᾽ οὐκ ἐλεεῖτε
ἐκπιπτουσῶν τῶν ἠλέκτρων καὶ τοῦ τόνου οὐκέτ᾽ ἐνόντος
τῶν θ᾽ ἁρμονιῶν διαχασκουσῶν· ἀλλὰ γέρων ὢν περιέρρει.

Scholia (et Suidas v. ἤλεκτροι, τόνος, ἁρμονία) hariolantur de lectulis[1]), ἠλέκτρους esse τὰ ταῖς κλίναις ἐπιβαλλόμενα ἐλεφάντινα, τόνον τὰ τῶν κραββάτων σχοινία, ἁρμονίας autem τὰ συμπησσόμενα τῶν κραββάτων μέρη. Immo ἤλεκτροι sunt ver-

1) Similiter Pollux 10, 34 in Sophoclis Ichneutarum versu 309 Hunt, quod bene vidit Schenkl Herm. 48 (1913) 153 sqq., etsi non norat eos quos attulimus locos.

tices lyrae ornati[1]); si vertices decidunt, etiam chordarum tensio laxatur et harmoniae (de plurali v. i.) disparent. Verbum διαχάσκειν commonet nos de harmoniae notione primaria. Similiter Sophocles in Thamyra fr. 223 dicit ῥηγνὺς χρυσόδετον κέρας, ῥηγνὺς ἁρμονίαν χορδοτόνου λύρας: vates rumpit lyrae cornua et chordas et sic harmoniam tollit[2]).

Sed harmonia non sola consonantia probatur: nam ut sonorum ordo conficiatur, accedat oportet semitonii certus definitusque locus. Praecipue in Graecorum musica admodum parce adhibitus est intervallorum concentus neque umquam duorum sonorum ambitum excessit, cf. Guhrauer in Commentationibus Hertzianis 1888 p. 169 sqq. Locus quem semitonium occupat, efficit varietatem in serie sonorum, in qua praeterea conspicua est harmoniae natura, non modo in iis sonis, qui una proferuntur, cf. Aristid. Quint. p. 11, 16 Iahn ἐκ τῆς τῶν ἐφεξῆς φθόγγων ἀκολουθίας τὴν τῆς ἁρμονίας ποιότητα φανερὰν γενέσθαι συμβαίνει. Sic harmonia facta est scala q. d. sonorum, species diapason sive octachordum[3]); nam diapason intervallum octo chordis complectitur huius ordinis speciem, cf. Plat. Phileb. 17 c d ἀλλ', ὦ φίλε, ἐπειδὰν λάβῃς τὰ διαστήματα, ὁπόσα ἐστὶ τὸν ἀριθμὸν τῆς φωνῆς ὀξύτητός τε πέρι καὶ βαρύτητος, καὶ ὁποῖα, - καὶ τὰ ἐκ τούτων ὅσα συστήματα γέγονεν, ἃ κατιδόντες οἱ πρόσθεν παρέδοσαν ἡμῖν τοῖς ἑπομένοις ἐκείνοις καλεῖν αὐτὰ ἁρμονίας. Scilicet systema est quaevis intervallorum compositio, velut tetrachordum, et harmonia systematis species, cf. Aristox. c. 36 p. 127, 20

---

1) non mera ornamenta ut putat Ian p. 9 in.; cf. Av. 219 ἀντιψάλλων ἐλεφαντόδετον φόρμιγγα; Soph. fr. 223, 1 de quo statim ῥηγνὺς χρυσόδετον κέρας; Ovid. Met. 11, 167 „instrictamque fidem gemmis et dentibus Indis sustinet a laeva".

2) Prosa oratione Plato Phaed. 86 a haec sic expressit: ἐπειδὰν οὖν ἢ κατάξῃ τις τὴν λύραν ἢ διατέμῃ καὶ διαρρήξῃ τὰς χορδάς, εἴ τις διισχυρίζοιτο τῷ αὐτῷ λόγῳ ὥσπερ σύ, ὡς ἀνάγκη ἔτι εἶναι τὴν ἁρμονίαν καὶ μὴ ἀπολωλέναι κτλ.

3) id quod gravissimum est in nostra quaestione ideoque praecipue memoria retinendum; nam ubicumque apud veteres ἁρμονία translata est ad alias res, veluti ad accentum (cf. infr. p. 100 sqq.) et ad actionem (cf. p. 68) et compositionem rhetoricam (cf. p. 72), valebat notio scalae, diapason speciei.

Mcr. τῶν συστημάτων τὰς διαφορὰς οἱ μὲν (sc. τῶν πρὸ ἡμῶν) ὅλως οὐκ ἐπεχείρουν ἐξαριθμεῖν, ἀλλὰ περὶ αὐτῶν μόνον τῶν ἑπτὰ ὀκταχόρδων ἃ ἐκάλουν ἁρμονίας τὴν ἐπίσκεψιν ἐποιοῦντο. Hae sunt septem illae species diapason, Doria, Phrygia, Lydia eqs., quarum hae tres nomen acceperunt a gente, apud quam unaquaeque praecipue in usu erat. Antiquissimi earum testes sunt Lasus Hermionensis fr. 1 Δάματρα μέλπω Κόραν τε Κλυμένοι' ἄλοχον - Αἰολίδ' ἀνὰ βαρύβρομον ἁρμονίαν, et Pratinas Phliasius fr. 5 μήτε σύντονον δίωκε μήτε τὰν ἀνειμέναν Ἰαστὶ μοῦσαν, ἀλλὰ τὰν μέσαν νεῶν ἄρουραν (ad imaginem cf. fr. 3 οὐ γᾶν αὐλακισμέναν ἀρῶν, ἀλλ' ἄσκαφον ματεύων et Lucret. 4, 1) αἰόλιζε τῷ μέλει, nam πρέπει τοι πᾶσιν ἀοιδᾶν[1]) λαβράκταις Αἰολὶς ἁρμονία. Sic harmonia, quae antea coniuncta occurrebat cum symphonia, prope accedit ad μέλος (cf. Pratinae l. l.), non quidem ad id quod postea vocatur τέλειον, quod complectitur cantum numerum verba (cf. Plat. Rp. 398 d μέλος ἐκ τριῶν ἐστὶ συγκείμενον, λόγου τε καὶ ἁρμονίας καὶ ῥυθμοῦ, cf. 379 a), sed id quod merum significat cantum sive vocis sive instrumenti, quodque ab Aristide Quint. p. 19, 9 Iahn definitur πλοκὴ φθόγγων ἀνομοίων ὀξύτητι καὶ βαρύτητι[2]). Cantus pendet ab harmonia, canitur in

---

1) ἀοιδά Athenaei p. 624 f. codd. AB, ἀοιδάν PVL. λαβράκτης vox quae significat garrulum (cf. λαβράζω Nic. Al. 160, λαβραγόρης Ψ 479, μύθοις λαβρεύεσθαι Ψ 478; Aesch. Prom. 327 σὺ δ' ἡσύχαζε μηδ' ἄγαν λαβροστόμει) caret cantus notione. Recte igitur quod ad sensum ἀοιδολαβράκταις Hartung et Westphal, cf. Becker De Pratina p. 51[1]. Ceterum antiquissimae harmoniarum vices nobis adhuc ignotae sunt, neque scimus, cur Lasus Aeoliam harmoniam vocet βαρύβρομον, quidque significent harmoniarum epitheta σύντονος, ἀνειμένη apud Pratinam primum obvia. Certe initio tres illae harmoniae, Doria, Phrygia, Lydia, eodem canebantur acuminis gradu, nam aliter transposita systemata non accepissent eadem nomina quae harmoniae; si ordimur a Doria harmonia (E—e), Phrygia harmonia, eodem tono cantata (e fis g a h cis d e), efficitur intentione duarum chordarum, quo chordarum ordine Doria harmonia transponitur in gradum tono acutiorem (Fis—fis), i. e. ex a molli fit h molle, Φρύγιος τόνος. Scilicet non verisimile est gentem gente acutius cantare.

2) hanc definitionem Aristoxeno deberi concludas ex Dionysio Hal. de Lysia c. 11 p. 18, 19 U.-R.

sive ad harmoniam, cantui convenit harmonia, cf. Pind. Nem. 4,44 ἐξύφαινε, γλυκεῖα, καὶ τόδ' αὐτίκα, φόρμιγξ, Λυδίᾳ σὺν ἁρμονίᾳ μέλος πεφιλημένον; Plat. Leg. 670 b τῶν γὰρ ῥυθμῶν καὶ τῶν ἁρμονιῶν ἀναγκαῖον αὐτοῖς ἐστιν εὐαισθήτως ἔχειν καὶ γιγνώσκειν· ἢ πῶς τις τὴν ὀρθότητα γνώσεται τῶν μελῶν, ᾧ προσῆκεν ἢ μὴ προσῆκε τοῦ δωριστὶ καὶ τοῦ ῥυθμοῦ, ὃν ὁ ποιητὴς αὐτῷ προσῆψεν ὀρθῶς ἢ μή; cf. Leg. 655 a, 660 a, 670 d, 802 d. Ab harmonia (quam Heraclides Ponticus apud Athen. 14, 624 d vocat ἀγωγὴν τῆς μελῳδίας) pendet indoles cantus, τὸ ἦθος, de quo plurimum disputaverunt veteres Graeci[1]), cf. Aristid. Quint. p. 11, 18 Iahn (τὰ συστήματα) ἀρχὰς οἱ παλαιοὶ τῶν ἠθῶν ἐκάλουν (cf. Westphal l. l. p. 137 ex.); [Aristot.] Probl. 19, 27 p. 93, 7 Ian αὕτη (ἡ ἐν τῷ ψόφῳ κίνησις) ἔχει ὁμοιότητα (sc. τῶν ἠθῶν) ἔν τε τοῖς ῥυθμοῖς καὶ ἐν τῇ τῶν φθόγγων τάξει τῶν ὀξέων καὶ βαρέων, οὐκ ἐν τῇ μίξει· ἀλλ' ἡ συμφωνία οὐκ ἔχει ἦθος. Secundum ethos Aristoteles Pol. 1340 a ex. sqq. harmonias dividit in ἀνειμένας sive μαλακάς, μέσας sive καθεστηκυίας, ἐνθουσιαστικάς (cf. Pratinae l. l. σύντονον, ἀνειμένην, μέσην; Plat. Rp. 398 e sq.), quibus μέλη reddantur ἠθικά aut πρακτικά aut παθητικά, ὡς διαιροῦσί τινες τῶν ἐν φιλοσοφίᾳ[2]) (1341 b 33). Itaque iam

1) cf. Abert Die Lehre vom Ethos in der gr. Musik 1899 p. 74 al. et eos, qui de harmoniis generaliter egerunt, Gevaert Histoire et théorie de la musique de l'antiquité I 1875 p. 129 sqq., Westphal Gr. Harmonik u. Melopoeie (3) 1885 p. 136 sqq., Ian ad Cleonid. cap. 9 p. 197, praefat. ad Alypium p. 362.

2) Hi sunt οἱ ἁρμονικοί, qui musicae indolem moralem perscrutati, hanc arcanam sapientiam ἐπιδείκνυνται (cf. Theophrast. Char. 5 ex. [ὁ ἄρεσκος δεινὸς κτήσασθαι] καὶ αὐλίδιον παλαιστριαῖον - καὶ τοῦτο περιιὼν χρηννύναι τοῖς φιλοσόφοις, τοῖς σοφισταῖς, τοῖς ὁπλομάχοις, τοῖς ἁρμονικοῖς ἐπιδείξασθαι), quorum controversiarum specimen nunc tenemus chartam Hibehanam (cf. Croenert Herm. 44, 504), cuius in exordio illi sic depinguntur (v. 3): λ[έγοντες γάρ, ὅ]τι ἁρμονικοί ε[ἰ]σι, καὶ προχειρισάμενοι ᾠ[ιδάς τινας] ταύτας συγκρίνουσιν, τῶμ μὲν ὡς ἔτυχεν κατηγοροῦντες, τὰς δὲ εἰκῇ ἐγκωμιάζοντες; cf. v. 27 περὶ μὲν τῶν ἁρμονικῶν καλουμένων, ἐν οἷς δὴ φασιν διακεῖσθαί πως, οὐδ' ἥντινα φωνὴν ἔχοντες λέγειν. Scilicet hi Pythagoreorum premebant vestigia; et apud Aristoxenum item οἱ ἁρμονικοί sunt Pythagoreorum sectatores, cf. Zeller Philosophie I[4] 370[5]. Eosdem Aristoteles vocat τοὺς

ante Aristotelem carmina secundum indolem et animi affectum dividuntur in tria genera, ita ut in hac re musici rhetoribus praeivisse sint putandi (v. i.; cf. Kroll Mus. Rhen. 62 p. 100; 66 p. 169).

Ad harmoniam, quae ut vidimus ab altera parte complectitur symphoniam ab altera melos, saepissime accedit numerus; nam in iis coniunctis cernitur musicae natura[1]); cf. Plat. Rp. 401 d ἆρ' οὖν, ἦν δ' ἐγώ, ὦ Γλαύκων, τούτων ἕνεκα κυριωτάτη ἐν μουσικῇ τροφή, ὅτι μάλιστα καταδύεται εἰς τὸ ἐντὸς τῆς ψυχῆς ὅ τε ῥυθμὸς καὶ ἁρμονία —; Leg. 655 a ἐν μουσικῇ καὶ σχήματα μὲν καὶ μέλη ἔνεστι, περὶ ῥυθμὸν καὶ ἁρμονίαν οὔσης τῆς μουσικῆς, cf. 653 e, 665 a, 672 c d, 672 e, 810 b, Conv. 187 c d, Ion. 534 a, Phaed. 92 a sqq. Saepissime ad notandas singulas species utrumque plurali ponitur, cf. Leg. 670 b (quem locum modo attuli p. 66 in.), 802 d e, 812 b, Prot. 326 b. Tertius accedit ὁ λόγος, cf. Rp. 398 d μέλος ἐκ τριῶν ἐστι συγκείμενον, λόγου τε καὶ ἁρμονίας καὶ ῥυθμοῦ; cf. Leg. 800 d; Aristot. Poet. 1447 a 21 ἅπασαι μὲν (αἱ τέχναι) ποιοῦνται τὴν μίμησιν ἐν ῥυθμῷ καὶ λόγῳ καὶ ἁρμονίᾳ, τούτοις δ' ἢ χωρὶς ἢ μεμιγμένοις, οἷον ἁρμονίᾳ μὲν καὶ ῥυθμῷ χρώμεναι μόνον ἥ τε αὐλητικὴ καὶ ἡ κιθαριστική, κἂν εἴ τινες ἕτεραι τυγχάνωσιν οὖσαι τοιαῦται τὴν δύναμιν, οἷον ἡ τῶν συρίγγων, αὐτῷ δὲ τῷ ῥυθμῷ μιμοῦνται χωρὶς ἁρμονίας οἱ ⟨πολλοὶ⟩ τῶν ὀρχηστῶν (cf. et. Poll. 4, 57)[2]).

κατὰ τοὺς ἀριθμοὺς ἁρμονικούς, cf. Top. 107 a 15 φωνὴ μὲν γὰρ ὀξεῖα ἡ ταχεῖα (id quod Archytam audivimus docere), καθάπερ φασὶν οἱ κατὰ τοὺς ἀριθμοὺς ἁρμονικοί; cf. Met. 997 b 21 (1078 a 14), Christ-Schmid Lit. II 1 p. 51[1].

1) sicuti iam Democritus scripsit περὶ ῥυθμῶν καὶ ἁρμονίης (Diels[2] p. 357, 44). Haec paucis adumbranda erant propter ea quae statim sequuntur.

2) Interdum sane pro ἁρμονίᾳ etiam ponitur μέλος (cf. infr. in accentibus p. 102 et in rebus rhetoricis p. 71 sq. et 78), cf. Plat. Leg. 656 c ῥυθμοῦ ἢ μέλους ἢ ῥήματος ἐχόμενον, Rp. 400 a μὴ λόγον ποδί τε καὶ μέλει (ἕπεσθαι). De horum vocabulorum apud Platonem vicibus egerunt Ritter Comment. ad Platonis Leges p 25 sqq., cf. imprimis p. 29 sqq, et Seydel Symbolae ad harmon. hist. p. 20 sqq.

Itaque si in aliis quoque rebus harmoniam cum rhythmo coniunctam invenimus, vel hanc ob causam verisimile est harmoniam e musica illuc esse translatam. Vidimus ab harmonia pendere indolem cantus; alia specie diapason canit ebrius potator atque amator, alia miles, rursus alia mortuum deflet lugubris querimonia, alia debacchatur Magnae Matris cohors. Simili modo in nudo sermone voces affectu mutantur: aliter iratus loquitur, aliter maestus, et hic quidem multo minoribus intervallis quam ille (cf. Cic. de orat. III 58, 217); nam „voces ut chordae sunt intentae, quae ad quemque tactum respondeant, acuta gravis, cita tarda, magna parva; quas tamen inter omnis est suo quaeque in genere mediocris“ (de orat. III 57, 216). Actione[1]) igitur variantur voces earumque cum ut chordae sint intentae „harmonia“, i. e. ordo in acumine et gravitate. Primus quantum nos assequimur de actione rhetorica egit Thrasymachus Chalcedonius teste Aristotele Rhet. III 1.

In quo loco explicando ideo saepe erraverunt viri docti, quod neglexerunt sententiarum nexum satis quidem contortum et ambiguum, ita ut necesse sit totum transscribendo interpretari: „Primum (1403 b 18) in id inquisivimus, quod natura est primum, quomodo res probentur; sequitur quomodo haec elocutione digerantur, tertium quod quidem plurimum valet, sed nondum incohatum est, actio: τρίτον δὲ τούτων ὃ δύναμιν μὲν ἔχει μεγίστην, οὔπω δ' ἐπικεχείρηται, τὰ περὶ τὴν ὑπόκρισιν. Quae sequuntur, ad actionem pertinent usque ad. v. 35. „Nam ad tragoedias quoque et epica carmina sero pervenit ars agendi, quia initio ipsi poetae tragoedias agebant. Apparet autem cum orationum actione eandem esse rem quam cum poematum actione, de qua (i. e. de pronuntiatione carminum) et alii

1) De actione ideo accurate nobis agendum est, quia eo, quo illa primum tractatur loco, Arist. Rhet. III 1, ἁρμονία hucusque ab omnibus viris doctis falso ad singularum syllabarum accentus relata est. Deinde ne elocutionis atque compositionis quidem rhetoricae harmonia neglegenda erat, ne qua eius vocis pars, praecipue ex ea aetate, qua ad accentus pervenit, inexplorata relinqueretur. Insuper haec quaestio etiam accentuum rationi adferet lucem.

quidam egerunt et Glauco Teius¹). Actio autem ipsa consistit in voce, quomodo ea utendum sit ad singulos affectus, i. e. quando magna voce et quando parva et media, et quomodo tensionibus, i. e. quando acuta voce et gravi et media, quibusque numeris ad unumquemque affectum. Tria enim sunt quae tractant ii qui actioni operam dant, quae sunt magnitudo vocis, harmonia, numerus: ἔστι δὲ (1403 b 27) αὐτὴ μὲν ἐν τῇ φωνῇ, πῶς αὐτῇ δεῖ χρῆσθαι πρὸς ἕκαστον πάθος, οἷον πότε μεγάλῃ καὶ πότε μικρᾷ καὶ μέσῃ, καὶ πῶς τοῖς τόνοις, οἷον ὀξείᾳ καὶ βαρείᾳ καὶ μέσῃ (sc. φωνῇ, cf. Bonitz Ind. Aristot. v. βαρύς), καὶ ῥυθμοῖς τίσι πρὸς ἕκαστον. τρία γάρ ἐστι περὶ ὧν σκοποῦσιν· ταῦτα δ' ἐστὶ μέγεθος ἁρμονία ῥυθμός. Deinde pergit (1403 b 32): „Praemia igitur certaminum fere arripiunt hi, et sicuti nunc ibi (ἐκεῖ i. e. in carminibus agendis) histriones plus valent quam ipsi poetae, ita in contionibus quoque propter civitatum pravitatem. Sed nondum composita est actionis ars, sicuti elocutionis quoque studium sero incohatum est.“ Quae sequuntur ad λέξιν pertinent usque ad v. 13; v. 12 rursus ad actionem Aristoteles transit his: „Illud igitur elocutionis studium si increbuerit, idem valebit quod actio, quam (i. e. actionem rhetoricam) nonnulli aliquatenus tantum tractaverunt, veluti Thrasymachus ἐν τοῖς ἐλέοις²). Et actio quidem natura magis contingit

---

1) Poetis igitur Glauco operam dedit (non oratoribus; nam orationum actionem tractavit Thrasymachus, v. i.), et praecipue Homero, si quidem idem fuit quem affert Aristoteles Poet. 1461 b 1 auctorem problematis Homerici. In Platonis Ione 530 d Ion sic gloriatur: οὔτε Μητρόδωρος ὁ Λαμψακηνὸς οὔτε Στησίμβροτος ὁ Θάσιος οὔτε Γλαύκων οὔτε ἄλλος οὐδεὶς τῶν πώποτε γενομένων ἔσχεν εἰπεῖν οὕτω πολλὰς καὶ καλὰς διανοίας περὶ Ὁμήρου ὅσας ἐγώ, cf. Porphyr. Quaest. Hom. I 384 sq. Schr., Diels Vors.² p. 326, 6. Inter ἑτέρους τινάς qui carminum pronuntiationi operam dederunt et sic ad vocem et accentus delapsi sunt, fuit Dionysius Olynthius (cf. Tatian. adv. Graecos c. 31, Varron. apud [Sergium] p. 531 Keil), vir et ipse Homeri studiosus, de quo v. i. p. 118.

2) cf. Süss Ethos p. 174 sq., qui non accurate καὶ δοκεῖ φορτικὸν εἶναι κτλ. p. 1403 b 36 ad actionem refert, cum ad elocutionem et grammatica releget et sententiarum nexus. — Primus περὶ ὑποκρί-

quam arte (cf. Quintil. 3, 3, 4 qui huius sententiae auctorem affert Thrasymachum; Süss Ethos p. 175[1]), contra elocutio arte comparatur" eqs. Itaque haec harmonia complectitur τόνους, i. e. ὀξεῖαν, βαρεῖαν, μέσην φωνήν, nil amplius, non magnitudinem vocis, quae ei adponitur (μέγεθος, i. e. μεγάλη, μικρά, μέση φωνή). Nam agitur de totius enuntiati aut certe membri tenore[1]); et harmonia est ordo vocis in acumine et gravitate et ea quae inter utrumque interest regione, sic variatus et digestus ut affectus praescribunt, i. e. loquendi quasi cantilena. Tenemus igitur apertam translationem vocabuli artis musicae manifestam vocibus appositis τόνος, ὀξεῖα βαρεῖα μέση φωνή. Nam has tres vocis regiones dudum musici distinxerant, cf. Plat. Phil. 17 c φωνὴ μέν που - ἐστὶ μία ἐν αὐτῇ (τῇ μουσικῇ). — δύο δὲ θῶμεν βαρὺ καὶ ὀξύ, καὶ τρίτον ὁμότονον i. e. medium, cf. Archytam in libro de oppositis (Archytae q. f. de notionibus univ. et de oppositis libellorum rell. coll. Fr. Schulte 1908 f. 40, 6) πολλῷ δὲ καὶ ὀλίγῳ μεταξὺ τὸ μέτριον καὶ ὀξέος δὲ καὶ βαρέος τὸ ὁμόφωνον. Ipse Aristoteles has tres regiones (ut vidimus p. 50) distinxit de animal. procreat. 787 a in. ἔστι γὰρ καὶ ὀξύφωνα μεγαλόφωνα καὶ μικρόφωνα βαρύφωνα ὡσαύτως, ὁμοίως δὲ καὶ κατὰ τὸν μέσον τόνον τούτων. Scilicet τόνος eo

---

σεως libellum scripsit Theophrastus, cf. Kayser De veterum arte poetica, diss. 1906 p. 25; Süss p. 174.

1) id quod recte viderunt veteres interpretes, cf. Anonym. in Rhet. p. 159, 19 καὶ πῶς τοῖς τόνοις τῆς φωνῆς χρηστέον· ἢ γὰρ ὀξεῖαν φωνὴν ἀφιέναι μέλλομεν, εἰ θρηνεῖ τὸ πρόσωπον, περὶ οὗ ὁ λόγος, ἢ βαρεῖαν, εἰ ἡρωικόν ἐστι τὸ πρόσωπον καὶ ὀργιζόμενον, et Stephan. in Rhet. p. 309, 20 εἰ μὲν γὰρ τύραννον ἢ Πολυμήστορα μιμοῖτο, δεῖ μεγάλῃ χρῆσθαι φωνῇ, εἰ δὲ γυναῖκα οἷον Ἑκάβην ἢ Πολυξένην, μικρᾷ καὶ οἷον ὑπὸ τοῦ πάθους διακοπτομένῃ. ἀλλὰ καὶ τοῖς τόνοις χρηστέον ἁρμοζόντως. διὰ τοῦτο καὶ οἱ τὰ ἅγια εὐαγγέλια ἀναγινώσκειν μανθάνοντες μυοῦνται πρῶτον τοὺς τόνους (i. e. φωνασκοῦσι), ὀξεῖαν καὶ συρματικὴν καὶ βαρεῖαν καὶ λείαν (sic Rabe, Vc τελείαν) ἐκπαιδευόμενοι. Συρματική similis quidem est περισπωμένῃ; nam „Hagiopolites" (quem affert Ducangius v. φωνή) coniungit σύρμα et κλάσμα, ita ut memineris nostri „portamento", cf. Ptol. Harm. II 12, de quo loco Graf De musica p. 20. Tamen in Stephano non licet cogitare de grammaticorum circumflexo, sicuti omnino procul habendi sunt singularum syllabarum accentus, id quod ostendit λείαν additum.

de quo agitur loco nil potest significare praeter meram altitudinem, quia magnitudo iam antea posita est[1]). Insuper accedit numerus ad indolem uniuscuiusque loci adhibitus. Itaque consulto atque ratione is qui actionem divisit in vocis magnitudinem, harmoniam, numerum, vocabula musica ad orationem transtulit. Aristoteles dicit quidem nondum institutam esse actionis rhetoricae artem, sed pauca tantum nonnullos delibasse de ea, in iis Thrasymachum in Commiserationibus. Itaque verisimile est Thrasymachum, qui primus prosam orationem consulto numeris distinxit, quique magnopere curavit audientium affectus (cf. Plat. Phaedr. 267 c ὀργίσαι τε αὖ πολλοὺς ἅμα δεινὸς ἀνὴρ γέγονε, καὶ πάλιν ὠργισμένοις ἐπᾴδων κηλεῖν; ὡς ἔφη) una cum numero de poesi cum musica artissime coniuncta etiam harmoniam ad prosam orationem transtulisse et nonnulla protulisse de sermonis cantu secundum affectus variando.

Harmonia quidem disparuit ex posteriorum actionis vocabulis, sed sat multa dicuntur de sermonis cantu. Similia iis quae Aristoteles (missis tamen artis vocabulis, quae ut non satis nobilia omnino vitat aut transscribit) profert Isocrates 5, 26 (διαφέρουσι τῶν λόγων εἰς τὸ πείθειν οἱ λεγόμενοι τῶν ἀναγιγνωσκομένων·) ἐπειδὰν γὰρ ὁ λόγος ἀποστερηθῇ τῆς τε δόξης τῆς τοῦ λέγοντος καὶ τῆς φωνῆς[2]) καὶ τῶν μεταβολῶν τῶν ἐν ταῖς ῥητορείαις γιγνομένων[3]) -, ἀναγι-

---

1) Alia res est, si τόνος in actionis finibus adponitur corporis motui; nam tum sane etiam magnitudo vocis inest atque vehementia, cf. Longin. I p. 194 Sp.-H. (affert Kayser De veterum arte poet. p. 27[1]) ὑπόκρισίς ἐστι μίμησις τῶν - ἠθῶν καὶ παθῶν καὶ διάθεσις σώματός τε καὶ τόνου φωνῆς πρόσφορος τοῖς ὑποκειμένοις πράγμασι; Theophrast. apud Anon. Proll. in rhet. VI 35, 31 Walz τὴν κίνησιν τοῦ σώματος καὶ τὸν τόνον τῆς ψυχῆς (lege φωνῆς).

2) cf. Aristot. Rhet. 1414 a 15 ὅπου μάλιστα ὑποκρίσεως, ἐνταῦθα ἥκιστα ἀκρίβεια ἔνι. τοῦτο δὲ ὅπου φωνῆς, καὶ μάλιστα ὅπου μεγάλης.

3) quae pertinent ad τόνους, cf. Aristot. Rhet. 1413 b 17 τὰ ὑποκριτικὰ ἀφῃρημένης τῆς ὑποκρίσεως οὐ ποιοῦντα τὸ αὑτῶν ἔργον φαίνεται εὐήθη, οἷον τά τε ἀσύνδετα καὶ τὸ πολλάκις τὸ αὐτὸ εἰπεῖν —· ἀνάγκη δὲ μεταβάλλειν τὸ αὐτὸ λέγοντας, ὅπερ ὥσπερ ὁδοποιεῖ τῷ ὑποκρίνεσθαι — καὶ τὰ ἀσύνδετα ὡσαύτως· ἦλθον, ἀπήντησα, ἐδεόμην· ἀνάγκη γὰρ ὑποκρίνεσθαι καὶ μὴ ὡς ἓν λέγοντα τῷ αὐτῷ ἤθει καὶ τόνῳ εἰπεῖν,

γνώσκῃ δέ τις αὐτὸν ἀπιθάνως καὶ μηδὲν ἦθος ἐνσημαινόμενος, ἀλλ' ὥσπερ ἀπαριθμῶν, εἰκότως, οἶμαι, φαῦλος εἶναι δοκεῖ. De actionis quasi cantilena loquuntur Theophrastus ἐν τῷ περὶ μουσικῆς apud Plutarch. Quaest. conv. 623 a λέγει δὲ Θ. μουσικῆς ἀρχὰς τρεῖς εἶναι, λύπην, ἡδονήν, ἐνθουσιασμόν, ὡς ἑκάστου τῶν . . αὐτῶν (an παθῶν τούτων?) παρατρέποντος ἐκ τοῦ συνήθους καὶ παρεγκλίνοντος τὴν φωνήν (cf. Aristox. p. 102, 25 διόπερ ἐν τῷ διαλέγεσθαι φεύγομεν τὸ ἱστάναι τὴν φωνήν, ἂν μὴ διὰ πάθος ποτὲ εἰς τοιαύτην κίνησιν ἀναγκασθῶμεν ἐλθεῖν). αἵ τε γὰρ λῦπαι τὸ γοερὸν καὶ θρηνητικὸν ὀλισθηρὸν εἰς ᾠδὴν ἔχουσι· διὸ καὶ τοὺς ῥήτορας ἐν τοῖς ἐπιλόγοις καὶ τοὺς ὑποκριτὰς ἐν τοῖς ὀδυρμοῖς ἀτρέμα τῷ μελῳδεῖν προσάγοντας ὁρῶμεν καὶ παρεντείνοντας τὴν φωνήν; et Cic. orat. 18, 57 „est autem etiam in dicendo quidam cantus obscurior, non hic e Phrygia et Caria rhetorum epilogus paene canticum, sed ille quem significat Demosthenes et Aeschines, cum alter alteri obicit vocis flexiones".

Haec translatio vocis ἁρμονία ad sermonis intervalla actione varianda admodum fuit subtilis atque artificiosa. Multo facilius vox illa pervenit ad elocutionem et compositionem rhetoricam[1]); nam semper retinuit notionem primariam iuncturae, artificiosae compositionis. Tamen usu longe praevalebat notio musica (speciei diapason), et is, qui ex omnibus qui ad nos pervenerunt scriptoribus primus de elocutione egit, Plato Rp. III cap. 6—9, continuo utitur musicae similitudine, ita ut multos effugerit de elocutione oratoria agi. Quare gravissima interpretabimur. Plato incipit his (III 6): τὰ μὲν δὴ λόγων πέρι ἐχέτω τέλος, τὸ δὲ λέξεως - μετὰ

---

cf. Xen. Cyn. 6, 20. Sane etiam τὸ ἦθος de musica et poesi ad rhetoricam pervenit, id quod non huius loci est demonstrare; neque recte fecit Süss, quod musicam omnino neglexit. De catharsi q. d. tragica iam verum suspicatus est Krollius Mus. Rhen. 66, 169.

1) cum elocutionis atque compositionis primordia ab harmoniae historia novam accipiant lucem, ea quae ex eius vocis vicibus quasi ipsa apparent, etsi quis forsitan aliena a proposito duxerit, nolui retinere. Praeterea in compositione rhetores et de poematibus scriptores (de Philodemo cf. infr. p. 115) accentus commemorabant. Denique et hic et in prosodia eandem deprehendimus rationem transferendi vocabula musica.

τοῦτο σκεπτέον, καὶ ἡμῖν ἅ τε λεκτέον καὶ ὡς λεκτέον παντελῶς ἐσκέψεται. Sequitur notissima illa divisio in genus μιμητικόν et διηγηματικόν. Qua in disputatione — ut omnino in artibus — plurimum interest Platonis, sitne rhetor sive poeta vir bonus necne. Vir probus quam rarissime imitationi inserviet neque umquam res abiectas imitabitur vel adeo malas. Deinde pergit his (c. 9): διηγήσει χρήσεται (ὁ μέτριος ἀνήρ) qua Homerus, καὶ ἔσται αὐτοῦ ἡ λέξις μετέχουσα μὲν ἀμφοτέρων, μιμήσεώς τε καὶ τῆς ἄλλης διηγήσεως, σμικρὸν δέ τι μέρος ἐν πολλῷ λόγῳ τῆς μιμήσεως· ἢ οὐδὲν λέγω; — καὶ μάλα, ἔφη, οἷόν γε ἀνάγκη τὸν τύπον εἶναι τοῦ τοιούτου ῥήτορος. — οὐκοῦν, ἦν δ' ἐγώ, ὁ μὴ τοιοῦτος αὖ, ὅσῳ ἂν φαυλότερος ᾖ, πάντα τε μᾶλλον μιμήσεται καὶ οὐδὲν ἑαυτοῦ ἀνάξιον οἰήσεται εἶναι, ὥστε πάντα ἐπιχειρήσει μιμεῖσθαι σπουδῇ τε καὶ ἐναντίον πολλῶν, - βροντάς τε καὶ ψόφους ἀνέμων τε καὶ χαλαζῶν καὶ ἀξόνων καὶ τροχιλίων καὶ σαλπίγγων καὶ αὐλῶν καὶ συρίγγων καὶ πάντων ὀργάνων φωνάς, καὶ ἔτι κυνῶν καὶ προβάτων καὶ ὀρνέων φθόγγους· καὶ ἔσται δὴ ἡ τούτου λέξις ἅπασα διὰ μιμήσεως φωναῖς τε καὶ σχήμασιν, ἢ σμικρόν τι διηγήσεως ἔχουσα; — ἀνάγκη, ἔφη, καὶ τοῦτο. — ταῦτα τοίνυν, ἦν δ' ἐγώ, ἔλεγον τὰ δύο εἴδη τῆς λέξεως. — οὐκοῦν αὐτοῖν τὸ μὲν σμικρὰς τὰς μεταβολὰς ἔχει, καὶ ἐάν τις ἀποδιδῷ πρέπουσαν ἁρμονίαν καὶ ῥυθμὸν τῇ λέξει, ὀλίγου πρὸς τὴν αὐτὴν γίγνεται λέγειν τῷ ὀρθῶς λέγοντι καὶ ἐν μιᾷ ἁρμονίᾳ — σμικραὶ γὰρ αἱ μεταβολαί — καὶ δὴ ἐν ῥυθμῷ ὡσαύτως παραπλησίῳ τινί; — κομιδῇ μὲν οὖν, ἔφη, οὕτως ἔχει. — τί δὲ τὸ τοῦ ἑτέρου εἶδος; οὐ τῶν ἐναντίων δεῖται, πασῶν μὲν ἁρμονιῶν, πάντων δὲ ῥυθμῶν, εἰ μέλλει αὖ οἰκείως λέγεσθαι, διὰ τὸ παντοδαπὰς μορφὰς τῶν μεταβολῶν ἔχειν; — ἆρ' οὖν πάντες οἱ ποιηταὶ καὶ οἵ τι λέγοντες ἢ τῷ ἑτέρῳ τούτων ἐπιτυγχάνουσι τύπῳ τῆς λέξεως ἢ τῷ ἑτέρῳ ἢ ἐξ ἀμφοτέρων τινὶ ξυγκεραννύντες —; Scilicet Plato agit de sola elocutione, non de compositione musica, quae postea tractatur (c. 10 sqq.). Hoc nobis identidem in mentem revocat, cf. 397 b ὀλίγου πρὸς τὴν αὐτὴν γίγνεται λέγειν τῷ ὀρθῶς λέγοντι καὶ ἐν μιᾷ ἁρμονίᾳ, 397 c εἰ μέλλει οἰκείως λέγεσθαι, τῷ ἑτέρῳ τούτων - τύπῳ τῆς λέξεως, cf. 398 d. Neque de solis poetis cogitat, sed de quavis oratione, id quod ostendunt verba τοῦ τοιούτου

ῥήτορος (396 e) et πάντες οἱ ποιηταὶ καὶ οἵ τι λέγοντες (397 c). Itaque Plato vocabula musica ad poesin et orationem transtulit, id quod post Gorgiam et Thrasymachum fieri solebat. Sed haec translatio — utpote quae sit imaginis tantum atque similitudinis instar — multo est liberior quam in illa actionis harmonia; nam hic harmonia omnia stili instrumenta complectitur praeter numerum, velutsi quis nostrum dicat: der eine Stil hat wenig Modulationen, und wenn man der Ausdrucksweise die passende Tonart und den passenden Rhythmus verleiht, so kann man nahezu nach derselben und in einer Tonart sprechen (397 b). Ansam transferendi praebuit vox μεταβολή, quae apud musicos erat modulatio et numeri variatio, apud ceteros omnis mutatio. Translationis novitas conspicua est in cumulatis vocibus, veluti πρὸς τὴν αὐτὴν καὶ ἐν μιᾷ ἁρμονίᾳ (397 b). Tum enim nondum valebat vox usu probata, quae dicendi genera fixo nomine amplecteretur. Vox τύπος (398 d) nimis patebat, item reliquae quae tum temptabantur. Sic Isocrates 15, 45 orationis tot esse τρόπους dicit quot carminum. Idem abhibet voces ἰδέα et εἶδος[1]), quae tamen in ipsa quoque oratione plura significant („Gesichtspunkte" vertit Süss p. 23). Quare Plato „harmoniam" transtulit. Eadem utitur locutione Phaedr. 277 b c (πρὶν ἄν τις) περί τε ψυχῆς φύσεως διιδὼν κατὰ ταὐτά, τὸ προσαρμόττον ἑκάστῃ φύσει εἶδος ἀνευρίσκων, οὕτω τιθῇ καὶ διακοσμῇ τὸν λόγον, ποικίλῃ μὲν ποικίλους ψυχῇ καὶ παναρμονίους διδοὺς λόγους, ἁπλοῦς δὲ ἁπλῇ· οὐ πρότερον δυνατὸν τέχνῃ ἔσεσθαι - τὸ λόγων γένος, οὔτε τι πρὸς τὸ διδάξαι οὔτε πρὸς τὸ πεῖσαι, i. e. simplici animo convenire simplicem orationem, composito autem variam omnibusque harmoniis ornatam; cf. Theaet. 175 e: banausi q. d. Graece

1) De harum usu antiquissimo, praecipue Isocrateo cf. Zycha Bemerkungen zu den Anspielungen u. Beziehungen in der 13. u. 10. Rede des Isokrates, Jahresber. des Leopoldstädt. Gymn. zu Wien 1880 p. 40 sqq.; Volkmann Rhetorik p. 533²; E. Schwartz Quaestiones Ionicae, Ind. lect. Rost. aestiv. 1891 p. 15 sqq. p. 17; Schmid Mus. Rh. 49, 155; Navarre Essai sur la rhétorique avant Aristote I cap. 6 sect. 3 paragr. 2; Sheehan De fide artis rhet. Isocrati tributae, diss. Bonn. 1901, p. 31 sq. De usu Hippocrateo cf. Ilberg Studia pseudippocratea 1883 p. 50.

vitam esse eius qui δουλικὰ διακονήματα τορῶς τε καὶ ὀξέως διακονεῖ, ἀναβάλλεσθαι δὲ οὐκ ἐπισταμένου ἐπιδέξια ἐλευθέρως οὐδέ γ' ἁρμονίαν λόγων λαβόντος ὀρθῶς ὑμνῆσαι θεῶν τε καὶ ἀνδρῶν εὐδαιμόνων βίον ἀληθῆ. Ne hic quidem agitur de cantu. Homo ineruditus non potest recte praedicare (sc. oratione, ἐπιδείξει, non hymno) vitam vere beatam, quam degunt di et philosophi. Itaque ἁρμονίαν λόγων λαβόντος est: postquam apta verba elegit et apte composuit, „mit den rechten Worten."

Platonem igitur musica vocabula in suum usum convertere vidimus. Sed num omnino harmonia compositionis notione posita de musicis ad rhetores pervenerit, interim dubium est. Nam propter illius vocis vim primariam proclive erat, artificiosam verborum structuram sic appellare. Apud Isocratem quidem non occurrit vox ἁρμονία praeter artem rhetoricam quae ei tribuebatur, cf. Menandr. III 339 Sp. (fr. 10 Sheehan) γίγνοιτο δὲ τοιαύτη (ἡ ἑρμηνεία) εἰ τῷ Ἰσοκράτους θεωρήματι χρησόμεθα καὶ τὸ κάλλος καὶ τὴν σεμνότητα μὴ ἀπὸ τῶν ὀνομάτων μᾶλλον ἢ τῆς ἀρχαιότητος ἢ τοῦ μεγέθους θηρώμεθα ἀλλ' ἀπὸ τῆς ἁρμονίας καὶ τῶν σχημάτων. Non aliena quidem est haec doctrina ab eo quem Isocrates in orationibus secutus est usu; sed verba ut cum Wendlando (Anaximenes von Lampsakos 1905 p. 44 [3]) statuamus in reliquiis artis inesse dicta Isocratis, non sapiunt eius stilum. Vix enim simpliciter posuisset ἁρμονίαν[1]). Sed nonnullis eius temporis locis verba

---

1) Ipsius Isocratis doctrinam habes 13, 16 (cf. Süss p. 20 et 173) τὸ δὲ τούτων (τῶν ἰδεῶν) ἐφ' ἑκάστῳ τῶν πραγμάτων ἃς δεῖ προελέσθαι καὶ μῖξαι πρὸς ἀλλήλας καὶ τάξαι κατὰ τρόπον, ἔτι δὲ τῶν καιρῶν μὴ διαμαρτεῖν ἀλλὰ τοῖς ἐνθυμήμασι πρεπόντως ὅλον τὸν λόγον καταποικῖλαι καὶ τοῖς ὀνόμασιν εὐρύθμως καὶ μουσικῶς εἰπεῖν, ταῦτα δὲ πολλῆς ἐπιμελείας δεῖσθαι —. Quid sit εὐρύθμως καὶ μουσικῶς, apparet ex 15, 46 εἰσὶ γάρ τινες, οἳ - γράφειν - προῄρηνται λόγους - Ἑλληνικούς - (quales ipse scribebat), οὓς ἅπαντες ἂν φήσειαν ὁμοιοτέρους εἶναι τοῖς μετὰ μουσικῆς καὶ ῥυθμῶν πεποιημένοις ἢ τοῖς ἐν δικαστηρίῳ λεγομένοις. Itaque μετὰ μουσικῆς καὶ ῥυθμῶν significat cantum et numerum (μέλος sive ἁρμονίαν et ῥυθμόν), et μουσικῶς εἰπεῖν est sonorum apta coniunctione blandimenta carminis imitari, ita ut iam Isocrates noverit eam bipartitionem compositionis rhetoricae, quae postea sollemnis fuit, cf. Cic. de orat. III 44, 174 (de quo

compositione adstringi et vinciri cogitantur, cf. Alcidamantem Elaitam de sophistis (Orat. Att. II p. 203, 34 Müller), qui verba artificiose structa comparat cum vinctis ὥσπερ οἱ διὰ μακρῶν χρόνων ἐκ δεσμῶν λυθέντες οὐ δύνανται τοῖς ἄλλοις ὁμοίαν ποιήσασθαι τὴν ὁδοιπορίαν, ἀλλ' εἰς ἐκεῖνα τὰ σχήματα καὶ τοὺς ῥυθμοὺς ἀποφέρονται μεθ' ὧν καὶ δεδεμένοις αὐτοῖς ἀναγκαῖον ἦν πορεύεσθαι[1]. Idem ibidem de sophistis 6 compositionem exprimit vocibus μετὰ ἀκριβείας καὶ ῥυθμοῦ τὰ ῥήματα συντιθέναι[2]. Sed ne ἁρμονίας quidem deest memoria, cf. de sophist. 9 τοῖς δὲ μετὰ τῶν γραπτῶν λόγων ἀγωνιζομένοις ἂν ἄρα τι χωρὶς τῆς παρασκευῆς ἐνθύμημα δοθῇ, χαλεπὸν ἐναρμόσαι καὶ χρῆσθαι κατὰ τρόπον· αἱ γὰρ ἀκρίβειαι τῆς τῶν ὀνομάτων ἐξεργασίας οὐ παραδέχονται τοὺς αὐτοματισμούς, ἀλλ' ἀναγκαῖον ἢ μηδὲν χρῆσθαι τοῖς ἀπὸ τῆς τύχης ἐνθυμήμασι δοθεῖσιν ἢ χρώμενον διαλύειν καὶ συνερείπειν τὴν τῶν ὀνομάτων οἰκονομίαν[3], καὶ τὰ μὲν ἀκριβῶς, τὰ δ' εἰκῇ λέγοντα ταραχώδη καὶ διάφωνον καθιστάναι τὴν ἑρμηνείαν.

Si harmonia vinculi instar coniungit verba, numerus ei subiungendus est (neque adiungendus ut Plato fecerat, similitudine musicae adductus). Quod post Aristotelem et Theophrastum omnes fecerunt, et harmonia apud rhetores idem est quod σύνθεσις, cf. Aristot. Poet. 1449 a 24 μάλιστα - λεκτικὸν τῶν μέτρων τὸ ἰαμβεῖόν ἐστιν· σημεῖον δὲ τούτου· πλεῖ-

---

loco Kroll Mus. Rh. 62, 94[1]) „haec duo musici, qui erant quondam eidem poetae, machinati ad voluptatem sunt, vorsum (ῥυθμόν) et cantum (μέλος), ut verborum numero et vocum modo (φθόγγων ἁρμονίᾳ, cf. τρόπον artis vocabulum) delectatione vincerent aurium satietatem. Haec igitur duo, vocis dico moderationem (ordinem harmonicum sc.) et verborum conclusionem, quoad orationis severitas pati posset, a poetica ad eloquentiam traducenda duxerunt". De Dionysio Hal. statim agetur.

1) cf. de sublimitate 40, 1 δεσμῷ τῆς ἁρμονίας περικλειόμενα.

2) ad ἀκρίβειαν cf. Isocr. 5, 155; 4, 11; cf. Alcidam. de sophistis 7 εὐλύτου (nota ἁρμονίας memoriam; similiter Isocrates epist. 6, 6) γὰρ τῆς ἑρμηνείας οὔσης καὶ τῶν ὀνομάτων οὐκ ἀκριβῶς συνεξεσμένων, cf. Dionys. de comp. p. 108, 1 U.-R., Longin. I 187, 12; 24 Sp.-H.

3) cf. etiam Plat. Phaedr. 278 d de compositione πρὸς ἄλληλα κολλῶν.

στα γὰρ ἰαμβεῖα λέγομεν ἐν τῇ διαλέκτῳ τῇ πρὸς ἀλλήλους, ἑξάμετρα δὲ ὀλιγάκις καὶ ἐκβαίνοντες τῆς λεκτικῆς ἁρμονίας; Rhet. 1408 b 32 τῶν δὲ ῥυθμῶν ὁ μὲν ἡρῷος σεμνὸς καὶ λεκτικῆς ἁρμονίας δεόμενος[1]); Theophrast. apud Dionys. de Isocr. c. 3 in. (Theophrasti περὶ λέξεως fr. coll. Mayer p. 6, III 1): καθόλου δὲ τριῶν ὄντων ὥς φησι Θεόφραστος ἐξ ὧν γίνεται τὸ μέγα καὶ περιττὸν ἐν λέξει, τῆς τε ἐκλογῆς τῶν ὀνομάτων καὶ τῆς ἐκ τούτων ἁρμονίας καὶ τῶν περιλαμβανόντων αὐτὰ σχημάτων κτλ., cf. eundem apud Ammon. de interpretatione p. 65 Busse (p. 14 Mayer) ἔργον αὐταῖς (sc. τῇ ποιητικῇ καὶ τῇ ῥητορικῇ) ἐκλέγεσθαι τὰ σεμνότερα τῶν ὀνομάτων - καὶ ταῦτα ἐναρμονίως συμπλέκειν ἀλλήλοις.

Non opus est has harmoniae vices porro prosequi. Nonnulla tantum addemus de Dionysio Halicarnassensi, ut huius disquisitionis quasi claudatur circulus et ad initium redeat. Apud Dionysium sane ἁρμονία idem est quod σύνθεσις ὀνομάτων, cf. de Lysia p. 16 in. U.-R. et p. 16, 4; de comp. p. 47, 8 et 47, 10; p. 63, 5; p. 64, 10; de Demosth. p. 208, 4 et 208, 11; p. 240, 16. Ἁρμονίαν eiusque species efficiunt haec: μέλος, ῥυθμός, μεταβολή (τὸ ἐν ἑκάστῳ πρέπον), cf. de Demosth. p. 235, 21 ἆρά γε ἀπαιτήσει μέ τις ἐνταυθοῖ λόγον μελῶν τε καὶ ῥυθμῶν καὶ τῶν ἐν ταῖς μεταβολαῖς σχημάτων καὶ τοῦ ἐν ἑκάστῳ πρέποντος, ἀξιῶν ἀκοῦσαι, τίνα τε αὐτῶν ἐστιν, οἷς ἡ φιλάρχαιος ἁρμονία κοσμεῖται, καὶ τίνα τῆς κωτίλης γένοιτ' ἂν ἁρμονίας. Sic varia mixtura atque usu τοῦ πρέποντος μέλους, πρέποντος ῥυθμοῦ, τῆς μεταβολῆς efficiuntur tres illae harmoniae, αὐστηρά, γλαφυρά, εὔκρατος (de comp. c. 21, de Demosth. c. 36 al.), — aut efficitur τὸ καλόν et τὸ ἡδύ (de comp. c. 11 al., de Demosth. c. 47; haec duo systemata in Dionysio animadvertit Kroll

1) Qui locus monet nos, ut cauti simus in harum subtilissimarum rerum interpretatione. Nam in hac λεκτικῇ ἁρμονίᾳ plus inest quam mera verborum structura, neque interpretabimur „der in der Unterhaltung üblichen Wortfügung ermangelnd", quod esset absonum. Sed subest memoria harmoniae musicae, speciei diapason, quae est ἀρχὴ τοῦ ἤθους; et λεκτικὴ ἁρμονία est totus διαλεκτικὸς χαρακτήρ, sermocinandi quasi color et proprietas, res positiva, non tantum elocutionis aut compositionis gradus, quo nulla res potest „indigere".

Mus. Rh. 62, 92). Iam intellegimus opinor, undenam venerit haec contaminatio. Rhetores tria statuebant compositionis genera, αὐστηράν, γλαφυράν, μέσην ἁρμονίαν sim., quae efficiuntur μέλει et ῥυθμῷ — nam postquam ἁρμονία facta est σύνθεσις, hanc ad musicorum exemplum porro esse divisam consentaneum est; et μέλος et ῥυθμόν et in Isocrate et in Cicerone deprehendimus. Platoni autem τὸ καλόν et τὸ ἡδύ sensu quidem morali[1]) (cf. 396c, 397ab: ὁ καλὸς κἀγαθός adhibet genus explicativum πρεπούσῃ ἁρμονίᾳ et πρέποντι ῥυθμῷ, quia σμικραὶ αἱ μεταβολαί; contra alter qui omnia imitatur, qui quidem est ἥδιστος [397 d], omnes adhibet harmonias eqs. 397c) efficitur diverso usu τῆς πρεπούσης ἁρμονίας, τοῦ πρέποντος ῥυθμοῦ propter diversum μεταβολῆς usum. Itaque Dionysius studuit utrumque systema coniungere et conglutinare: pro Platonis harmonia posuit rhetorum μέλος et rhetorum harmoniis in altero suo systemate subiunxit Platonis tria illa compositionis instrumenta. Sed haec peculiarem exigunt quaestionem. Interim sat habeo, haec gravissima, quae iam possunt pro certo affirmari, posuisse.

Itaque ἁρμονία apud musicos plerumque erat series sonorum harmonicorum, species diapason, qua notione iam sophistarum aetate ad nudum sermonem ita translata est, ut notaret et orationis tenorem actione variatum et genus dicendi. Restant nonnulli loci, quibus ad accentus videtur pertinere quique etiam nobis viam munient ad illos; quare interim eos missos faciemus. Nam nondum constat de προσῳδίας origine, vocabuli illius gravissimi, in quo magis conspicua est accentus Graeci natura quam in iis de quibus egimus vocibus, quia se continuit intra musicae artis fines.

De voce προσῳδία.

Ea quae adhuc tractavimus vocabula non ab initio musica fuerunt. Contra in voce προσῳδία quivis statim agnoscet

---

1) scilicet ex eorum musicorum consuetudine, qui musicae indolem moralem imprimis in educatione conspicuam defendebant, veluti Damonis. Has voces apud rhetores sensim recessisse a moribus et factas esse stili varietates nemo mirabitur.

praepositionem πρός et verbum ᾄδειν, ita ut appareat eam ab initio significasse speciem aliquam cantus. Sed difficultas inest in praepositione, cuius vis musica accurate erit explicanda. Sic iterum movemus quaestionem et gravissimam et difficillimam: quaenam apud Graecos intercesserit necessitudo inter cantum et instrumenta, sive tibiam tibiasve sive lyram sive accessit utrumque et quomodo hanc Graeci perceperint atque descripserint (breviter egit de his Graf De musica p. 50 et 72 sqq.). Neque quisquam iure postulaverit, ut huic operi iam simus pares, quippe cuius fundamenta vix sint iacta. Nam ne scimus quidem accurate, quomodo tractata sint instrumenta, quodque munus habuerit utraque manus[1]); praesertim de vicibus utriusque tibiae nil fere constat. Hoc unum scimus concentum ab initio parum valuisse neque umquam duorum sonorum excessisse ambitum neque hominum voces umquam aliter consonuisse atque diapason intervallo, ita ut antiphoniam redderent (cf. Guhrauer in Commentationibus Hertzianis 1888 p. 169 sqq.). Itaque ea tantum adumbrabimus, quae ad „prosodiae" naturam detegendam erunt necessaria.

Antiquissimi quidem poetae non dicebant canere ad instrumentum, sed sub instrumento, instrumento comite et duce; nam illud quamvis pauca certe praelusisse putandum est vel eam ob causam, ut cantor a recto tono ordiretur. Scilicet si quid una cum cantu deinde sonabat sive lyra sive tibia, non discrepabat a cantu, sed eosdem edebat sonos quos ille. Haec munera, et ducis et comitis, notabat praep. ὑπό cum genetivo, cf. Aesch. Suppl. 238 οὔτε κηρύκων ὕπο, ἀπρόξενοί τε, νόσφιν ἡγητῶν, μολεῖν; Ag. 1554 καταθάψομεν οὐχ ὑπὸ κλαυθμῶν. Itaque nuptiae sic describuntur [Hes.] Scut. 278 ταὶ μὲν ὑπὸ λιγυρῶν συρίγγων ἵεσαν αὐδὴν ἐξ ἁπαλῶν στομάτων, περὶ δέ σφισιν ἄγνυτο ἠχώ. οἱ δ' ὑπὸ φορμίγγων ἄγαγον χορὸν ἱμερόεντα. ἔνθεν δ' αὖθ' ἑτέρωθε νέοι κώμαζον ὑπ' αὐλοῦ; cf. Theogn. 533 χαίρω δ' εὖ πίνων καὶ ὑπ' αὐλητῆρος ἀείδων; similiter 825, Eur. Iph. Aul. 1038 (ubi διά et μετά idem significant, v. i. p. 81[1]). Homerus Σ 569 idem breviter ex-

1) de lyra cf. Ian Saiteninstrumente p. 13 (Graf De mus. p. 39[1]), de tibiis Howard Harvard Studies IV per alteram quaestionis partem passim.

pressit ὑπό voce absolute posita sed instrumento antea nominato: τοῖσιν δ' ἐν μέσσοισι πάις φόρμιγγι λιγείῃ ἱμερόεν κιθάριζε, λίνον δ' ὑπὸ καλὸν ἄειδεν, i. e. cantum quasi supposuit lyrae sonis, post praeludium, cf. hymn. Merc. 53 πλήκτρῳ ἐπειρήτιζε κατὰ μέρος· ἡ δ' ὑπὸ χειρὸς σμερδαλέον κονάβησε· θεὸς δ' ὑπὸ καλὸν ἄειδεν. Eodem sensu quo genetivus interdum ponitur ὑπό cum dativo (cf. [Hes.] Scut. 283 ὑπ' αὐλητῆρι πρόσθ' ἔκιον, cf. 299; βῆ θεῶν ὑπ' ἀμύμονι πομπῇ Z 171; η 193), praecipue a posterioribus (cf. Luc. Alex. 19 ὑπὸ κήρυκι), sic a Plutarcho de rat. aud. 41 c ὡς γὰρ τῶν ὑπ' αὐλοῖς ᾀδόντων (ubi genetivus male sonuisset) αἱ πολλαὶ τοὺς ἀκούοντας ἁμαρτίαι διαφεύγουσι, cf. Lucian. de salt. c. 16. Praeterea verisimile est Graecos etiam dixisse ᾄδειν ὑπὸ τὸ ὄργανον, ita ut subsit notio carminis in longum extensi: unter das Flötenspiel hin. Nam similia inveniuntur haec: Xen. Conv. 6, 3 ἦ οὖν βούλεσθε, ἔφη, ὥσπερ Νικόστρατος ὁ ὑποκριτὴς τετράμετρα πρὸς τὸν αὐλὸν κατέλεγεν, οὕτω καὶ ὑπὸ τὸν αὐλὸν ὑμῖν διαλέγωμαι (quod Marchant, Cobetum secutus, non recte mutat in ὑπὸ τοῦ αὐλοῦ); similiter Polycrates Laconicarum rerum scriptor (F H G IV 480) apud Athen. 4 p. 139e (attulit Graf p. 74) τὴν κίνησιν - ὑπὸ τὸν αὐλὸν καὶ τὴν ᾠδὴν ποιοῦνται.

Contra nondum inveni exemplum locutionis ὑπᾴδειν τῷ ὀργάνῳ, sed ὑπᾴδειν quantum scio dicitur de iis qui in choro canunt vel saltatoribus accinunt, cf. Aristoph. Ran. 366 ἢ κατατιλᾷ τῶν Ἑκαταίων, κυκλίοισι χοροῖσιν ὑπᾴδων; praeterea cf. Ran. 874, Callimach. hymn. Del. 304 (attulit Steph. Thes. v. ὑπᾴδω), Lucian. de salt. c. 30. Item latet adhuc artis nescioquod secretum sub inversa illa locutione, qua instrumentum dicitur succinere cantui vocis, non cantus instrumento. Per se haec intellegi potest, nam ut modo instrumentum dux erat cantoris, ita nunc cantui, cuius vis sane praevalebat, dicitur accedere instrumentum, ut comes et pedissequus. Sed primum non invenitur ὑποκιθαρίζειν, sed ὑπαυλεῖν unum, etsi Plato Leg. 669e dicit αὐλήσει γε χρῆσθαι καὶ κιθαρίσει πλὴν ὅσον ὑπὸ ὄρχησίν τε καὶ ᾠδήν, praeterea ὑπαυλεῖν de choris et saltatoribus tantum instrumento adiutis dictum inveni, non de singulo cantore, cf. Alcman. fr. 100 Hiller-Crusius, fr. 78 Bgk. (quae tamen nimis brevia sunt),

Callim. hymn. Dian. 242, Lucian. Harmon. c. 1, de saltat. c. 83.

Apud antiquissimos igitur poetas ὑπό significat cantum una cum instrumento prolatum[1]). Sed inde ab Archilocho magis magisque artis vocabuli stabilitatem accepit πρός[2]), cuius antiquissima sunt exempla Archilochi fr. 76 αὐτὸς ἐξάρχων πρὸς αὐλὸν Λέσβιον παιήονα, et Pind. Ol. 10, 84 χλιδῶσα δὲ μολπὰ πρὸς κάλαμον ἀντιάξει μελέων. Nam tum novae inveniebantur species eius de qua agimus inter cantum et instrumentum necessitudinis, et πρός notabat homophoniam, qua eaedem voces ab utroque eduntur, cum ὑπό ad alias vices transferretur. Sic προσᾴδειν praecipue dicebatur de choro dramatico, cf. Aristoph. Eq. 400 εἴ σε μὴ μισῶ, γενοίμην ἐν Κρατίνου κῴδιον, καὶ διδασκοίμην προσᾴδειν Μορσίμου τραγῳδίαν, ubi falso Cobetus (qui insuper ὑπᾴδειν scribendum censuit) Meinekiusque τραγῳδίᾳ proposuerunt; verba enim tragoediae instrumentis accinuntur. De

1) Sc. poetae non curant artis stabilitum sermonem; et multo plura apud eos idem notant: σύν Theogn. 241 καί σε σὺν αὐλίσκοισι λιγυφθόγγοις νέοι ἄνδρες - ᾄσονται, quod sane etiam in prosa oratione adhibetur, cf. Athen. 14, 617 b: Πρατίνας δὲ ὁ Φλιάσιος, αὐλητῶν καὶ χορευτῶν μισθοφόρων κατεχόντων τὰς ὀρχήστρας, ἀγανακτήσας (sic Wilamowitz Sappho u. Sim. p. 133, codd. ἀγανακτεῖν τινας) ἐπὶ τῷ τοὺς αὐλητὰς μὴ συναυλεῖν τοῖς χοροῖς, καθάπερ ἦν πάτριον, ἀλλὰ τοὺς χοροὺς συνᾴδειν τοῖς αὐληταῖς κτλ.; cf. Pind. fr. 75, 20 Christ. Accedunt alia (cf. Graf p. 50): Eur. Herc. 680 ἔτι τὰν Ἡρακλέους καλλίνικον ἀείδω παρά τε Βρόμιον οἰνοδόταν, παρά τε χέλυος ἑπτατόνου μολπὰν καὶ Λίβυν αὐλόν; Telest. fr. 5, 1 Bgk. ἐν αὐλοῖς συνοπαδοὶ Πέλοπος - ἄεισαν νόμον; cf. Pind. Ol. 7, 12; 5, 19; Nem. 3, 79; Isthm. 5, 27. Alia habent Eur. Iph. Aul. 1036, Soph. O. R. 187.

2) In illo artis sermone πρός praecipue notat cantus instrumentique vices, contra σύν pertinet ad cantorum inter se relationes aut ad instrumentorum inter se familiaritatem, etsi sat multa in hac tota quaestione omnes regulas respuunt. Sed συνᾴδουσι cantores cum cantoribus, cf. Plat. Rp. 432 a (cf. 443 d); Aristox apud Athen 14, 635 b; Aristoph. Av. 858; Poll. 4, 107; Cic. de orat. III 50, 196. Συνᾴδει sane chorus etiam cantori actorive, cf. Eur. Or. 132, Lucian. rhet. praecept. 21. Item συναυλία est ἀγὼν ἀμοιβαῖος duarum tibiarum vel tibiae et lyrae, cf. Steph. Thes. s. v., Bapp Leipz. Stud. 8, 121.

simili re videtur cogitasse Plato Leg. 670b γελοῖος γὰρ ὅ γε πολὺς ὄχλος ἡγούμενος ἱκανῶς γιγνώσκειν τό τ' εὐάρμοστον καὶ εὔρυθμον καὶ μή, ὅσοι προσᾴδειν αὐτῶν καὶ βαίνειν ἐν ῥυθμῷ γεγόνασι διηναγκασμένοι; loquitur certe de pompa sive choro a civitate instituto, ubi plebeculae cantus instrumentis sustinebatur neque locus erat symphoniae illecebris aut omnino artis subtilitatibus [1]). Vim verbi προσᾴδειν praeterea illustrant haec exempla recentiora: Pausan. 10, 7, 3 ἐλεγεῖα προσᾳδόμενα τοῖς αὐλοῖς; Lucian. salt. 2 μυρίων ἄλλων ὄντων ἀκουσμάτων καὶ θεαμάτων σπουδαίων, εἰ τούτων τις δέοιτο τῶν κυκλικῶν αὐλητῶν καὶ τῶν κιθάρᾳ τὰ ἔννομα προσᾳδόντων; Aelian v. h. 14, 23 ὁ ἐν Ἰλιάδι Ἀχιλλεὺς ὁ τῇ κιθάρᾳ προσᾴδων; Poll. 4, 81 καὶ τοῖς μὲν παρθενίοις αὐλοῖς παρθένοι προσεχόρευον, τοῖς δὲ παιδικοῖς παῖδες προσῇδον· οἱ δ' ὑπερτέλειοι προσεφθέγγοντο ἀνδρῶν χοροῖς· κιθαριστήριοι δὲ καὶ τοὔνομα διότι κιθάραις προσηύλουν διδάσκει, cf. 83; Semus Delius apud Athen. 14, 618a de συναυλίᾳ: ἦν τις ἀγὼν συμφωνίας ἀμοιβαῖος αὐλοῦ καὶ ῥυθμοῦ (? exspectes κιθάρας) χωρὶς λόγου τοῦ προσμελῳδοῦντος [2]).

---

1) cf. Leg. 670 d, ubi Plato dicit cantores esse instituendos μέχρι τοῦ δυνατὸν εἶναι συνακολουθεῖν ἕκαστον ταῖς τε βάσεσι τῶν ῥυθμῶν καὶ ταῖς χορδαῖς ταῖς τῶν μελῶν (cf. vocem πρόσχορδος de qua statim agetur). Scilicet non ita difficile erat accinere, si instrumenta idem sonabant.

2) Interdum προσᾴδειν (sive προσαυλεῖν) τινί est accinere homini vel rei, canere apud aliquem, aliquid; cf. Procl. in Rempubl. I p. 60, 30 Kroll ὅσα προσᾴσονται τοῖς νέοις; Poll. 4, 55 ἦν δέ τι καὶ ἀλῆτις ᾆσμα ταῖς αἰώραις προσᾳδόμενον, quod explicat Athen. 14, 618 e ἦν δὲ καὶ ἐπὶ ταῖς αἰώραις τις - ᾠδή. Similiter Nicophon ἐν τοῖς Χειρογάστορσιν I fr. 17 Kock ἀλλ' ἴθι προσαύλησον (blase uns zu = vor) σὺ νῷν πτισμόν τινα, et Aristoph. Eccl. 891, ubi loquitur meretrix vetula φιλοττάριον αὐλητά, τοὺς αὐλοὺς λαβὼν ἄξιον ἐμοῦ καὶ σοῦ προσαύλησον μέλος; cf. Theocrit. 2, 11; Theophylact. Simoc. Quaest. phys. c. 1 (Steph. Thes. v. προσᾴδω), Stat. Silv. 4, 4, 55 (Thes. l. L. v. accanto); translate Plut. quomodo adulator ab am. intern. p. 71 f. (ubi Latinus interpres „occinere"; cf. Aelian. N. A. 6, 1 quod affert Steph.). Sic explicatur Aeschyli fr. 299 N. (Anecd. Ox. 4, 315, 25) ἰστέον δὲ ὅτι παρ' Αἰσχύλῳ τὴν προσῳδίαν εὑρίσκομεν κειμένην ἐπὶ τῆς προσφωνήσεως — „οὔτοι μ' ἄπειρον τῆσδε τῆς προσῳδίας", cf. Choeph. 1024 πρὸς δὲ καρδίᾳ φόβος ᾄδειν ἕτοιμος, ἡ δ' ὑπορχεῖσθαι

Iam ut demonstremus in artis sermone praepositionem πρός significasse homophoniam instrumenti et cantoris — id quod gravissimum est in voce προσῳδία explicanda, age initium capiamus a voce πρόσχορδος (cf. Ian ad Probl. 19, 39 b ex.), quae primum legitur Plat. Leg. 812 d, loco clarissimo eodemque difficillimo: τούτων τοίνυν δεῖ χάριν τοῖς φθόγγοις τῆς λύρας προσχρῆσθαι, σαφηνείας ἕνεκα τῶν χορδῶν, τόν τε κιθαριστὴν καὶ τὸν παιδευόμενον, ἀποδιδόντας πρόσχορδα τὰ φθέγματα (sc. vocis) τοῖς φθέγμασι (sc. chordarum)· τὴν δ' ἑτεροφωνίαν καὶ ποικιλίαν τῆς λύρας, ἄλλα μὲν μέλη τῶν χορδῶν ἱεισῶν, ἄλλα δὲ τοῦ τὴν μελῳδίαν ξυνθέντος ποιητοῦ - μὴ προσφέρειν; i. e. lyra ad cantum adhibeatur, ut singuli soni cithara iuvante accuratius proferantur; quare et citharista et discipulus eosdem edant sonos neque alia sonet lyra, alia cantor[1]). Quae omnia patent; nam Grafius (De musica p. 2[1]) nodum in scirpo quaerit, cum haeret in κιθαριστῇ; pueri enim Graeci ἐφοίτων εἰς κιθαριστοῦ, ut discerent artem psallendi, quae tamen non adhiberetur nisi ad cantum. Πρόσχορδα igitur φθέγματα sunt ea quae idem sonant et ὁμοφωνίαν efficiunt, non συμφωνίαν (i. e. diapente sive diatessaron intervallum) neque ἀντιφωνίαν (i. e. diapason intervallum, cf. Probl. 19, 13; 39 a al.). Quod probatur loco Probl. 19, 9 διὰ τί ἥδιον τῆς μονῳδίας ἀκούομεν, ἐάν τις πρὸς αὐλὸν ἢ πρὸς λύραν ᾄδῃ; καίτοι πρόσχορδα καὶ τὸ αὐτὸ μέλος ᾄδουσιν ἀμφοτέρως. Itaque et fidicen et tibicen in monodiis eosdem

---

κρότῳ, i. e. τῇ καρδίᾳ προσᾴδειν ὁ φόβος ἕτοιμος. προσήγορος vice versa fit synonymon vocis προσῳδός et significat amicum, aptum, congruum (cf. nostrum „ansprechend"): Philolai fr. 11 p. 243, 10 Diels[2] οὐ γὰρ ἧς δῆλον οὐδενὶ οὐδὲν τῶν πραγμάτων -, εἰ μὴ ἧς ἀριθμὸς καὶ ἁ τούτω οὐσία. νῦν δὲ οὗτος καττὰν ψυχὰν ἁρμόζων αἰσθήσει πάντα γνωστὰ καὶ ποτάγορα ἀλλάλοις - ἀπεργάζεται („macht - einander entsprechend" Diels), quod non recte interpretatur Goebel Vorsokr. Philosophie 1910 p. 141; cf. Plut. virtut. mor. 443 a ψαλτήρια διεξιὼν καὶ λύρας καὶ πηκτίδας καὶ αὐλοὺς καὶ ὅσα μουσικῆς προσῳδὰ καὶ προσήγορα μηχανησαμένης ἀνθρωπίνοις πάθεσι (apta atque congrua hominum affectibus) ἄψυχα συνήθεται καὶ συνεπιθρηνεῖ καὶ συνᾴδει.

1) id quod nos barbara atque inelegantí voce vocamus „contrapunctum", etsi Graecorum ἑτεροφωνία multo fuit simplicior; contrapunctum certe Graeci vocassent ἑτερομέλειαν.

profert sonos quos cantor. Quid voci πρόσχορδος contrarium sit, apparet ex Plut. de mus. 28 οἴονται δὲ καὶ τὴν κροῦσιν τὴν ὑπὸ τὴν ᾠδὴν τοῦτον (Archilochum) πρῶτον εὑρεῖν, τοὺς δ'ἀρχαίους πάντα[ς] πρόσχορδα κρούειν. Κρούσει igitur ὑπὸ τὴν ᾠδήν efficitur συμφωνία vel adeo ἑτεροφωνία, cf. [Aristot.] Probl. 19, 39b: iis qui μαγαδίζουσι i. e. diapason intervallum efficiunt, idem accidit quod τοῖς ὑπὸ τὴν ᾠδὴν κρούουσιν· καὶ γὰρ οὗτοι, τὰ ἄλλα οὐ προσαυλοῦντες, ἐὰν εἰς ταὐτὸν καταστρέφωσιν, εὐφραίνουσι μᾶλλον τῷ τέλει ἢ λυποῦσι ταῖς πρὸ τοῦ τέλους διαφοραῖς[1]). Unde

1) Hoc loco efficitur eos qui ὑπὸ τὴν ᾠδὴν κρούουσιν una sonare cum cantu, non interludere cum cantus paulum acquieverit, id quod multi v. d. putaverunt. Sane res est perdifficilis, ita ut eius latebris quaestionis ordinem turbare noluerim, praesertim cum προσᾴδειν quid sit per se appareat. Certe ut de κρούσει ὑπὸ τὴν ᾠδήν dubites, is qui προσαυλεῖ ludit tibia incentiva; nam apud Graecos artis vocabulum non videtur fuisse ἐπαυλεῖν ita ut „incentivus" vertas προσῳδός; cf. Varron. rer. rust. 1, 2, 15 (attulit Howard l. l. p. 44 et 46 in.): „certe-aliut pastio et aliut agri cultura, sed adfinis et ut dextra tibia alia quam sinistra, ita ut tamen sit quodam modo coniuncta, quod est altera eiusdem carminis modorum incentiva altera succentiva. Et quidem licet adicias pastorum vitam esse incentivam, agricolarum succentivam auctore Dicaearcho, qui Graeciae vita qualis fuerit ab initio nobis ita ostendit, ut superioribus temporibus fuisse doceat, cum homines pastoriciam vitam agerent neque scirent etiam arare terram —; ab iis inferiore gradu aetatis susceptam agri culturam. Quocirca ea succinit pastorali, quod est inferior, ut tibia sinistra a dextrae foraminibus." Tertium comparationis inest in eo, quod agricultura post pastionem inventa et exinde iuxta illam culta est, sicuti tibia succentiva certe post incentivam (i. e. post cantus initium) accedebat, quemadmodum ante finem homophonia restituebatur (cf. ἐὰν εἰς ταὐτὸ καταστρέφωσιν, εὐφραίνουσι μᾶλλον τῷ τέλει). Tibiarum concentus probatur loco Apulei Flor. II 2 p. 3, 20 Helm 1910 (cf. Howard p. 45 in.): „primus Hyagnis in canendo manus discapedinavit, primus duas tibias uno spiritu animavit, primus laevis et dexteris foraminibus acuto tinnitu et gravi bombo concentum miscuit". Sed difficultas in eo inest, quod succinere omnibus reliquis locis, ubi non agitur de tibiis, dicitur de eo qui post alium canit, cf. Horat. Epist. 1, 17, 48 „clamat: victum date, succinit alter: et mihi. dividuo findetur munere quadra"; Calpurn. Ecl. 4, 79 „cantibus iste tuis alterno succinet ore". Item Graecorum ὑπό notavit successionem, cf. voces ὑποκριτής, ὑββάλλειν

elucet προσαυλεῖν esse eosdem tibiis sonos edere cum cantore; cf. [Aristot.] de audib. 801 b 16: μᾶλλον ἑνὸς ἀκούοντες συνίεμεν ἢ πολλῶν ἅμα ταὐτὰ λεγόντων, καθάπερ καὶ ἐπὶ τῶν χορδῶν· καὶ πολὺ ἧττον (sc. συνίεμεν), ὅταν προσαυλῇ τις ἅμα καὶ κιθαρίζῃ, διὰ τὸ συγχεῖσθαι τὰς φωνὰς ὑπὸ τῶν ἑτέρων· οὐχ ἥκιστα δὲ τοῦτο ἐπὶ τῶν συμφωνιῶν φανερόν ἐστιν· ἀμφοτέρους γὰρ ἀποκρύπτεσθαι τοὺς ἤχους συμβαίνει ὑπ' ἀλλήλων. Ne hic quidem προσαυλεῖν καὶ κιθαρίζειν facit consonantiam; nam tali ordine procedit oratio: hominum voces idem loquentium obscurant se invicem; idem fit in chordis duarum vel plurium lyrarum, quae eosdem edunt sonos. Multo etiam magis fit, si tibiae insuper accedunt idem sonantes; maxime autem apparet in consonantiis, ubi alter sonus alterum debilitat. Sonorum igitur discordia gradatim crescit.

Item προσᾴδειν proprie est canere ad instrumentum,

T 80 i. e. interpellare dicentem, ὑποβλήδην ἠμείβετο A 292, ὑποκρούειν λέγοντι (quod non putaverim de musica esse translatum) Aristoph. Ach. 38, [Plat.] Eryx. 395 e al., ὑπηχεῖν de sono harmonico (diapason) in chorda resonante [Aristot.] Probl. 19, 42 pro quo ἀντηχεῖν 19, 24. Praeterea in choro opponuntur praecinere, praecentor et succinere, succentor (nonnulla affert Forcellini s. his vocibus), graece προᾴδειν et ὑπᾴδειν. Προᾴδειν habes Aeschin. de falsa leg. 162 sq. ἐν δὲ τούτοις ὡς ἔοικεν ἐγὼ διαφανὴς ἦν οὐχ ὑποσιγῶν, ἀλλὰ συνᾴδων, ὥς φησι Δημοσθένης —· καὶ τῷ γε δῆλος ἦν, εἰ μή γε ὥσπερ ἐν τοῖς χοροῖς προῇδον; ὑπᾴδειν hoc sensu forte positum est Aristoph. Ran. 366 κυκλίοισι χοροῖσιν ὑπᾴδων (cf. s. p. 80). In christianorum denique psalmodia, ubi deerant instrumenta et concentus (viri puerique in choris cantabant diapason intervallo), ὑποψάλλειν, ὑπηχεῖν, ὑπακούειν dicitur de choro respondente praecentori, cf. Basilii epist. ad Neocaesarienses, Migne Patr. Gr. 32, 764 in., Ioh. Chrysost. in psalm. 41, vol. 55, 155 ex. 163 in. 166; in psalm. 117 vol. 55, 328; Silviae peregrin. 24, 9; Isidor. de officiis I 8; P. Wagner Einführung in die geogr. Melodien I³ 1910 p. 17 sqq.; Christ-Paranikas Antholog. carm. christianorum p. XVI sq. p. LXIX; Krüll in Krausii Lexico ecclesiastico s. cantor, psalmodia; Riemann Handbuch I¹ p. 100. Sed his omnibus nequaquam aequiperatur auctoritas loci Problematum, a quo orsi sumus. — Obiter moneo voces accentus et succentus (accentio succentio) acumen et gravitatem significare apud Chalcid. in Tim. 40; 44 et apud Favon. Eulog. in Cic. somn. Scip. p. 15, 15 Holder; cf. Skutsch Philol. 61, 197.

quod eosdem sonos profert; nam Probl. 19, 9 (v. s.) ii qui monodiam „ad lyram sive tibias canunt", ambo πρόσχορδα καὶ τὸ αὐτὸ μέλος canere dicuntur. Sic optime intellegitur Probl. 19, 43 διὰ τί ἥδιον τῆς μονῳδίας ἀκούομεν, ἐὰν πρὸς αὐλὸν ἢ πρὸς λύραν ᾄδῃ; — ἔτι ὁ μὲν αὐλὸς πολλὰ τῷ αὑτοῦ ἤχῳ καὶ τῇ ὁμοιότητι συγκρύπτει τῶν τοῦ ᾠδοῦ ἁμαρτημάτων· οἱ δὲ τῆς λύρας φθόγγοι, ὄντες ψιλοὶ καὶ ἀμικτότεροι τῇ φωνῇ καθ' ἑαυτοὺς θεωρούμενοι καὶ ὄντες αὐτοῖς συμ⟨φυεῖς ἐμ⟩φανῆ (sic ego; οντεσαυτοισυμφανη codd.; „suumque genus sincerum custodientes" Gaza; ὄντες αὐτοὶ ἀκριβεῖς ἐμφανῆ Ian) ποιοῦσι τὴν τῆς ᾠδῆς ἁμαρτίαν καθάπερ κανόνες ὄντες αὐτῶν. Tibiae pinguiore suo sono melius quasi obtegunt cantum (nam hac ipsa imagine nos utimur in complurium instrumentorum homophonia, qua aliorum durities ab aliis mollitur, mollities corroboratur). Itaque προσᾴδειν est ita accinere instrumento, ut iidem edantur soni cum illo, et προσῳδία talis est cantus.

Cuius vocis forma et vis illustratur similibus μελῳδία, κιθαρῳδία, αὐλῳδία, μονῳδία. Μελῳδία, cantus vocis humanae sive verba cantata, ideo videtur formata esse, quod μέλος etiam totum carmen significabat neque solum de voce humana, sed de quavis sonorum musicorum serie dicebatur; contra μελῳδία accuratius notabat verba cantata, cf. [Eur.] Rhes. 923 ὅτ' ἤλθομεν Μοῦσαι μεγίστην εἰς ἔριν μελῳδίας; Plat. Leg. 790 d ἡνίκα ἂν βουληθῶσι κατακοιμίζειν τὰ δυσυπνοῦντα τῶν παιδίων αἱ μητέρες, οὐχ ἡσυχίαν αὐτοῖς προσφέρουσιν-καὶ οὐ σιγήν, ἀλλά τινα μελῳδίαν, cf. 935 e, 798 e, 812 d; praecipue Aristot. Pol. 1339 b 21 τὴν δὲ μουσικὴν πάντες εἶναί φαμεν τῶν ἡδίστων, καὶ ψιλὴν οὖσαν καὶ μετὰ μελῳδίας. Mox sane etiam μελῳδία de verbis cantatis translata est ad omne melos (cf. i. προσῳδίαν), sicuti iam ab Euripide Iph. Taur. 1104 et Hel. 1109 cygnus et luscinia vocantur μελῳδοί (Aristophanis [Av. 226] epops qui μελῳδεῖν παρασκευάζεται re vera erat cantor). Etiam propius ad προσῳδίαν accedunt κιθαρῳδία et αὐλῳδία, quarum illam esse cantum ad lyram, hanc ad tibias ipsa verba docent, cf. Plat. Leg. 658 b, 700 d, 799 e, Ion. 533 b inscriptionesque agonisticas, in quibus componuntur κιθαρῳδοί, αὐλῳδοί, κιθαρισταί, αὐληταί. Notabilis est locus Pollucis 4, 83, ubi αὐλῳδία vocatur εἶδος προσαυλήσεως: οἱ

δὲ τὴν συναυλίαν εἶδος προσαυλήσεως οἴονται ὡς τὴν αὐλῳδίαν, cum secundum ceteros fuerit συμφωνία συναυλούντων, i. e. cum secundum plerosque συναυλία esset certamen duarum tibiarum vel tibiae et lyrae, nonnulli putaverunt eam esse speciem cantus ad tibiam. Itaque προσαύλησις est tibiarum sonus ad cantum, προσκιθάρισις (quod quidem verbum nondum apparuit) citharae vox unisona cum cantu, sicuti προσῳδία vice versa cantus ad instrumentum [1]).

Huius notionis pauca tantum manserunt vestigia; manserunt tamen; cf. Poll. 4, 64 Κριτίᾳ (fr. 48 Bach) τὰς πρὸς κιθάραν ᾠδὰς προσῳδίας ἀρέσκει καλεῖν (Pollux igitur miratur hunc usum, et προσῳδία quidem postea priscae suae significationis, quae evanuit prae accentus notione, plane videtur oblita esse); Anecd. Ox. 4, 315, 25 ἰστέον δὲ ὅτι παρ' Αἰσχύλῳ (fr. 299 cf. s. p. 82[2]) τὴν προσῳδίαν εὑρίσκομεν κειμένην ἐπὶ τῆς προσφωνήσεως, οὐ τῆς μετ' ὀργάνου φωνῆς, cf. schol. Lond. in Dionys. Thrac. p. 474, 24 Hilg., Hesych. Phot. προσῳδία· ἡ μετ' ὀργάνου φωνή, i. e. cantus vocis instrumento sustentatus. Cantus autem tragicorum poetarum, Socratis, Platonis aetate semper fere erat προσῳδία; nam illorum temporum Athenienses fere non solebant assa voce cantare, neque in conviviis neque in pompis neque adeo in choro aut scaena; sed in schola citharistae didicerant ipsi lyra vocem sustentare, cum tibiae, quae munus dividi inter duos homines cogebant, a nobilibus spernerentur (cf. Plat. Alcibiad. I p. 106 e). Insuper instrumentum idem sonabat quod cantor. Quare quam artissimam inierunt affinitatem voces προσῳδία et μελῳδία, et ut fieri solet in synonymis, alterum ab altero colorem accipit et contaminatur alterius vi primaria. Sic iam vidimus μελῳδίαν etiam ad instrumenta transferri, contra in προσῳδίᾳ sensim recessit instrumenti memoria, praesertim cum cantus ab initio gravitate praevaluisset. Cuius rei testes sunt iam Euripides et Aristophanes; cf. Eur. Phoen. 1498 τίνα προσῳδὸν ἢ τίνα

1) μονῳδία denique est ode unius cantoris et quidem actoris in scaena sive lyra sive tibiis comitantibus, quales composuit Euripides, cf. Aristoph. Pac. 1012, Ran. 849, 944, 1330 (sequitur monodiae parodia), Thesm. 1077, fr. Gerytadis 154 K.; Plat. Leg. 764 d, 765 a. Opponitur χορῳδία Leg. 764 e.

μουσοπόλον στοναχὰν - ἀγκαλέσωμαι; verborum enim nexu evincitur προσῳδόν hic idem esse quod μουσοπόλον, i. e. μουσικόν, μελῳδόν, ut fere dicunt poetae, cf. fr. 631 et fr. trag. adesp. 418, 6 N. Aristophanem Pollux 4, 63 dicit usurpasse et μελῳδός (818 K.) et προσῳδός (844); et saepissime apud illum ea quae coniunguntur, explicant se invicem. Sed multo gravior est locus Platonis saepius vexatus (cf. Iannaris Americ. Iourn. of Phil. 22 [1902] 78), Rp. 399 a: οὐκ οἶδα, ἔφην ἐγώ, τὰς ἁρμονίας, ἀλλὰ κατάλειπε (in ea quam desideramus civitate) ἐκείνην τὴν ἁρμονίαν, ἣ ἔν τε πολεμικῇ πράξει ὄντος ἀνδρείου καὶ ἐν πάσῃ βιαίῳ ἐργασίᾳ πρεπόντως ἂν μιμήσαιτο φθόγγους τε καὶ προσῳδίας[1]); hic artis imitatione digna esse dicuntur qualia vir fortis rebus in arduis fere loquatur et canat. Itaque Platoni προσῳδία idem fere erat quod μελῳδία, cui quidem plerumque accedebat instrumentum[2]).

Restant nonnulli loci, quibus προσῳδία ad instrumenta transfertur sicuti etiam μέλος, μελῳδία, διάλεκτος, cf. Aristot. de an. 2, 8, 9 (cum Iani nota) ἡ φωνὴ ψόφος τίς ἐστιν ἐμψύχου· τῶν γὰρ ἀψύχων οὐθὲν φωνεῖ, ἀλλὰ καθ' ὁμοιότητα λέγεται φωνεῖν, οἷον αὐλὸς καὶ λύρα καὶ ὅσα ἄλλα τῶν ἀψύχων ἀπότασιν ἔχει καὶ μέλος καὶ διάλεκτον (cf. Graf p. 15, de „dialecto crumatica" p. 13 sqq.). Sane si instrumentum vocatur προσῳδόν (Poll. 4, 58), id potius breviter dictum est pro apto ad προσᾴδειν, cf. Plut. Mor. 827 a ὥσπερ οὖν ὁ ἁρμονικὸς - ἀνὴρ παντὶ - ὀργάνῳ χρήσεται προσῳδῷ τεχνικῶς ἁρμοσάμενος

1) cf. Leg. 654 e, ubi φθόγγων loco occurrunt φθέγματα, et 660 a, ubi προσῳδιῶν loco leguntur ἐν ἁρμονίαις μέλη, cf. etiam Crat. 423 c d.

2) Fortasse consulto sermonis quandam antiquitatem affectavit falsarius ille Μητρόδωρος personatus apud Iamblichum de Pyth. vita c. 34 in. (cf. Diels Vors.² 88, 28), qui προσῳδίαν posuit pro μελῳδίᾳ (sensu tamen posteriore = μέλος) cum genus chromaticum vocaret τὴν ἐπὶ χρώματος προσῳδίαν, quod postea plane inusitatum fuit: secundum Epicharmum et Pythagoram τὴν μὲν Ἰάδα καὶ τὴν Αἰολίδα μετεσχηκέναι τῆς ἐπὶ χρώματος προσῳδίας (μελῳδίας ci. Nauck), Ἀτθίδα δὲ κατακορέστερον μετεσχηκέναι τοῦ χρώματος, τὴν δὲ Δώριον ἐναρμόνιον εἶναι συνεστηκυῖαν ἐκ τῶν φωναέντων γραμμάτων. Aut subest quaedam de veterum Pythagoreorum studiis memoria, v. i. p. 99.

- ὡς πέφυκεν ἐμμελὲς ὑπηχεῖν. Sed apud Zonaram lex. s. v. (Steph. Thes. v. προσῳδία, Graf p. 18[1]) προσῳδία explicatur ὀργάνου φωνή. Quin Choeroboscus in Dionys. Thrac. p. 124, 27 Hilg. et Lucius Tarrhaeus Anecd. Ox. 4, 308 (cf. Graf. p. 18) dicunt musicos voce προσῳδία significare τὸ στόμα καὶ τὴν ἐκφώνησιν (sonos edendi proprietatem) τῶν αὐλῶν. Itaque hic ut saepius effectus notio transiit in instrumenti quo ille perficitur, cf. Solin. 5, 19 (Thes. l. L. v. accentus) ,,tibias milvinas quae in accentus exeunt acutissimos''. Peculiaris res est psalmodorum χειρονομία, quam etiam προσῳδίαν esse dictam Zonaras (l. l.) testatur[1]).

---

1) De χειρονομίᾳ cf. Christ. Antholog. carm. christ. p. CXIV in.: „cum autem organis Graeci carerent, certe in ecclesiis non uterentur, manuum variis motibus (χειρονομίᾳ) cantum dirigebant. — His manuum motibus quod altitudinem, depressionem, flexus vocis significabant, notae musicae - nomine χειρονομίας comprehendebantur; cf. [Christii] Beiträge [zur kirchl. Lit. der Byzantiner, Sitz.-Ber. Münch. Ak. 1870] p. 61. Quin etiam formas notarum [a veterum accentuum signis desumptas] motus manuum imitari Chrysanthus Μέγα Θεωρητ. p. 91 sq. rectissime monet“; cf. P. Wagner Einf. in die greg. Mel. I³ 224 de χειρονομικῷ: „die Rechte bewegte er nach dem Verlaufe der Melodie beim Dirigieren nach oben und unten, so dass er gewissermassen die Melodie in die Luft zeichnete“; praeterea cf. Riemann Handbuch I 2 p. 84 et 95.

De accentus Graeci inventione.

Postquam eorum vocabulorum, quibus Graeci accentus notaverunt, historiam persecuti sumus, age nunciam videamus, quomodo illa ad eum usum, quem apud grammaticos stabilitum invenimus, pervenerint. Eum ad finem antiquissima accentuum testimonia, quantum ad nomina, excutienda erunt. Qua in quaestione interim mittenda erit omnis de accentus indole praestabilita opinio et id unum tenendum: agi de eo pronuntiandi modo, qui vocalibus litteris adpingit colorem quendam sive ictu aliquo sive altitudinis variatione sive coniungitur utrumque, unde vocis corpus quasi vitam accipit atque spiritum. Et primum quidem exponemus, quibus modis Graeci pervenerint ad accentus, ita ut initium capiamus a musicae artis aucteritate, quae illis temporibus etiam multo maior erat quam hodie, ubi sunt qui eam ceteris artibus praeferri doleant. Nam si viderimus, quaenam fuerit necessitudo inter musicam reliquasque artes, melius intellegemus, quomodo musica vocabula translata sint ad alias res.

Auctoritatis autem, qua florebat ars musica, causa principalis erat, quod optimus quisque poeta idem erat musicus, ita ut ne a magistrorum quidem ludis abesset musicae memoria, cum pueri in poetis legendis discerent numeros atque metra, quorum unumquodque cum unaquaque fere harmonia singulari coniunctum erat familiaritate. Itaque pueri iam antequam citharistae ludum frequentarent, imbuti erant notitia musica. Tamen in ludis haec discebantur usu atque ediscendo (cf. Plat. Prot. 325e); neque opus erat artis vocabulis aut interiore harum rerum scientia. Sed ne ab arte grammatica quidem aut a litterarum primordiis, quibus debetur accentuum notitia, ob easdem causas abest musicae familiaritas; neque quisquam sophistarum, qui grammaticam tractave-

runt, alienus fuit a studiis musicis. Sic etiam Aristophanes in Nubibus Socratem sophistae exemplum positurus depinxit et metricis (i. e. musicis, v. i.) et grammaticis rebus deditum. Similis videtur fuisse Eupolidis Caprarum Prodamus[1]), ut tradit Quintilianus 1, 10, 17, qui locus omnino hanc tangit quaestionem: „transeamus igitur id quoque, quod grammatice quondam et musice iunctae fuerunt, siquidem Archytas atque Euenus[2]) etiam subiectam grammaticen musicae putaverunt, et eosdem utriusque rei praeceptores fuisse[3]) cum Sophron ostendit - tum Eupolis, apud quem Prodamus (fr. 17 K.) et musicen et litteras docet et Maricas (fr. 193), qui est Hyperbolus, nihil se ex musice scire nisi litteras confitetur. Aristophanes quoque non uno libro sic institui pueros antiquitus solitos esse demonstrat“ (cf. Radermacheri notam). Eadem quae Maricas Eupolidis, in Aristophanis Eq. 188 fatetur isiciarius: ἀλλ' ὠγάθ', οὐδὲ μουσικὴν ἐπίσταμαι, πλὴν γραμμάτων; simi-

---

1) cf. schol. Lond. in Dionys. Thrac. p. 490, 24 H. et Kock ad Eupolidis fr. 17. De Prodami nomine dubitant viri docti et mutandum censent in Prodicum sive Pronomum. Sed — si fas est conicere — Prodicus et Damon sophistae amicissimi (cf. Plat. Lach. 197 d) in unum confunduntur, ut evadat ὁ σοφιστὴς κατ' ἐξοχήν, Socratis Aristophanici ritu. Ipse Damon fuit verus sophista, cf. Plat. Lach. 180 d Ἀγαθοκλέους (de quo Prot. 316 e μουσικὴν δὲ Ἀγαθοκλῆς - ὁ ὑμέτερος πρόσχημα ἐποιήσατο, μέγας ὢν σοφιστής) μαθητὴν Δάμωνα, ἀνδρῶν χαριέστατον οὐ μόνον τὴν μουσικήν, ἀλλὰ καὶ τἆλλα ὁπόσα βούλει ἄξιον συνδιατρίβειν τηλικούτοις νεανίσκοις; praet. cf. Rp. 400 b c, 424 c, Lach. 200 b, Axioch. 364 a, Alcib. I 118 c.

2) de Eueno sophista cf. Diels Gorgias und Empedokles, Sitz.-Ber. Berl. Ak. 1884 p. 350[1].

3) inter quos fuit Hippias Eleus, qui Pythagoristarum (ut Archytae) more grammaticam, musicam, astronomiam docebat, cf. Plat. Hipp. mai. 285 c d, ubi peritissimus audit γραμμάτων δυνάμεως (quam Plato exponit Cratyli c. 37, cuius sub finem αὕτη μοι φαίνεται inquit Socrates βούλεσθαι εἶναι ἡ τῶν ὀνομάτων ὀρθότης, cf. Crat. 424 b, Hipp. min. 368 d; non recte Graf Rhythmus u. Metrum 1891 p. 20 adn.) καὶ συλλαβῶν καὶ ῥυθμῶν καὶ ἁρμονιῶν; Hipp. min. 368 d (ἐπιστήμων ἔφησθα ἀφικέσθαι) περὶ ῥυθμῶν καὶ ἁρμονιῶν καὶ γραμμάτων ὀρθότητος; Prot. 318 e λογισμούς τε καὶ ἀστρονομίαν καὶ γεωμετρίαν καὶ μουσικὴν διδάσκοντες — καὶ ἅμα εἰς τὸν Ἱππίαν ἀπέβλεψε; cf. Xen. Mem. 4, 4, 7; Diels Vors.[2] p. 581 sq.; Kroll Mus. Rh. 66 (1911) 169. Pythagoreos sophistis praeivisse etiam infra apparebit.

liter in Eupolidis Capris pastor sive rusticus non sine desiderio videtur recordari veterum temporum, ubi licebat (fr. 3 p. 259) ζῆν μαθόντι μηδὲ τάγυρι μουσικῆς; praeterea cf. Plat. Prot. 340a καὶ γὰρ οὖν καὶ δεῖται τὸ ὑπὲρ Σιμωνίδου ἐπανόρθωμα τῆς σῆς (Προδίκου) μουσικῆς, ᾗ τό τε βούλεσθαι καὶ ἐπιθυμεῖν διαιρεῖς; Bergk De rell. com. Att. p. 332 sqq., Volkmann ad Plut. de mus. c. 2, Mestwerdt De Dionysii Hal. in libro de comp. v. studiis 1868 p. 21[1]. Iam si quaerimus, quamnam partem doctrinae musicae effecerit elementorum grammaticorum tractatio, Aristoteles identidem nos ad metricos relegat, cf. Poet. 1456 b 33 περὶ ὧν (i. e. de litterarum differentiis secundum pronuntiationis locum modosve, porro secundum accentus et spiritus) καθ' ἕκαστον ἐν τοῖς μετρικοῖς προσήκει θεωρεῖν, item de syllabis 1456b 37; cf. de part. anim. 660a 8, Vahlen Beiträge zu Ar. Poetik, Sitz.-Ber. Wien. Ak. 1867 p. 226. Neque aliter res se habuit Platonis aetate, cf. Crat. 424 b c ὥσπερ οἱ ἐπιχειροῦντες τοῖς ῥυθμοῖς τῶν στοιχείων πρῶτον τὰς δυνάμεις διείλοντο, ἔπειτα τῶν συλλαβῶν, καὶ οὕτως ἤδη ἔρχονται ἐπὶ τοὺς ῥυθμοὺς σκεψόμενοι. Metricam artem tum omnino partem fuisse musices (cf. Aristox. p. 123, 19 Mcr., ubi musicae partes enumerantur ἡ ἁρμονικὴ - καθάπερ ἥ τε ῥυθμικὴ καὶ ἡ μετρικὴ καὶ ἡ ὀργανική) vix est quod moneam. Ex iis quae exposui apparet elementa tetigisse et Hippiam Eleum et Damonem (cf. Plat. Rp. 400 b c), quorum uterque numerorum et harmoniarum indolem perscrutabatur, id quod antea fecerant Pythagorei (cf. Abert Ethos p. 5 sqq. passim). Pythagorei in accentibus nobis iterum occurrent, sed omnino philosophi elementis grammaticis operam dederunt.

Democritus, qui mundum universum in atoma divisit, etiam in lingua et vocibus excutiendis sicuti certe in rebus musicis quoque progressus est ad partes minimas, litteras et sonos. Ex eius scriptis talia tractaverunt τὰ μουσικά (cf. Diog. Laert. 9, 48; Diels Vors.[2] p. 357 ex.): περὶ ῥυθμῶν καὶ ἁρμονίης (de cuius libelli indole ingeniosam protulit coniecturam Graf Der Kampf um die Musik im Altertum, Progr. 1907, p. 14 ex. sq.), περὶ ποιήσιος, περὶ καλλοσύνης ἐπέων[1]), περὶ

1) De qua egit Licymnius Gorgiae discipulus, cui secundum Aristot. Rhet. 1405 b 6 κάλλος ὀνόματος erat ἐν τοῖς ψόφοις ἢ τῷ ση-

εὐφώνων καὶ δυσφώνων γραμμάτων[1]), περὶ Ὁμήρου ἢ ὀρθοεπείης καὶ γλωσσέων, περὶ ἀοιδῆς sim.; cf. Diels Verh. d. 35. Philologenvers. (Stettin.) 109 [42], Elementum p. 13. Porro notissima est quaestio illis diebus multum a philosophis volutata, sintne rerum vocabula νόμῳ an φύσει; in qua quaestione, id quod docet Platonis Cratylus, confugiendum erat ad veriloquia non sine elementorum notitia. Ne Pythagorei quidem videntur alieni fuisse ab his disputationibus, cf. Simplic. in Cat. p. 40, 5 sqq. K. φύσει τὰ ὀνόματα καὶ οὐ θέσει λέγουσιν οἱ Πυθαγόρειοι, καί τὰ ὁμώνυμα καὶ τὰ πολυώνυμα παραιτοῦνται, ὡς ἑνὸς ὀνόματος πρὸς ἓν πρᾶγμα κατὰ φύσιν λεγομένου. Mox accedebant philosophorum fratres νόθοι, eristicos dico, qui rabularum more ex nominum paritate sophisticas conclusiones captabant et ambiguitatum genera excogitabant, quae Aristoteles tractavit in Sophisticis Elenchis (v. i.) et auctor Doricarum disputationum (Diels Vors.[2] p. 643, 3 sqq.). Quam iniuriae supellectilem si quis docendo tradere volebat, coactus erat elementa vocum tangere, ex quorum vel minima mutatione penderet sensus. Quibus accedebant pseudogrammatici illi problematum auctores, ut Hippias Thasius (cf. Aristot. Soph. El. 166 b 1, Poet. 1461 a 21), qui dubitabat essetne scribendum τὸ μὲν οὐ καταπύθεται ὄμβρῳ an οὗ καταπύθεται, de quo discrimine non poterat disputari sine accuratiore rei notitia atque artis vocabulis. Talia problemata Aristotelem constat

---

μαινομένῳ. Aristoteles l. l. addidit τὸ πρὸ ὀμμάτων, quod accepit Theophrastus, cf. Demetr. de elocutione 173 ὡρίσατο δὲ αὐτὰ (τὰ καλὰ ὀνόματα) Θ. οὕτως· κάλλος ὀνόματός ἐστι τὸ πρὸς τὴν ἀκοὴν ἢ πρὸς τὴν ὄψιν ἡδύ, ἢ τὸ τῇ διανοίᾳ ἔντιμον; cf. Diels Abh. d. Berl. Ak. 1886 p. 29 sqq., Süss Ethos p. 181 sq.

1) Talia musici observabant, ut Aristoxenus apud Athen. 11, 467 a (et apud Dionys. de comp. p. 54 ex.): οἱ γὰρ μουσικοί, καθάπερ Ἀριστόξενός φησι, τὸ σίγμα λέγειν παρῃτοῦντο διὰ τὸ σκληρόστομον εἶναι καὶ ἀνεπιτήδειον αὐλῷ· τὸ δὲ ῥῶ διὰ τὸ εὔκολον πολλάκις παραλαμβάνουσι; sequitur Pind. fr. 79 Christ, qui τὸ σὰν κίβδηλον vituperat. De eadem re egit Heraclides Pont. in tertio de musica (cf. Athen. 10, 455 d) qui observavit Lasi hymnum in Cererem (III 376 Bgk.) fuisse ἄσιγμον; cf. etiam Demetr. de elocut. 176 παρὰ δὲ τοῖς μουσικοῖς λέγεταί τι ὄνομα λεῖον, καὶ ἕτερον τὸ τραχύ, καὶ ἄλλο εὐπαγές, καὶ ἄλλ' ὀγκηρόν, id quod pendet ex sonorum mixtura.

tractasse Poetices c. 25. Eristicorum quasi heredes erant rhetores, qui ex illorum rixis discebant ambigua aut sectari aut vitare, prout e re erat, cf. Rhet. ad Alex. c. 25 ex. τὸ δὲ τὰ ἀμφίβολα διαφεύγειν τοιόνδε ἐστίν· ἔνια τῶν ὀνομάτων ταὐτὰ ἐπὶ πλείοσι πράγμασι κεῖται, οἷον ὀδὸς τῶν θυρῶν καὶ ὁδὸς ἣν βαδίζουσι· δεῖ δ' ἐπὶ τοῖς τοιούτοις τὸ ἴδιον ἀεὶ συμπαραλαμβάνειν. Praeterea rhetores in libris περὶ λέξεως elementa tractabant grammaticisque viam praemuniebant, in his Ephorus, qui in tali libro novum accentus nomen proposuit (v. i. p.117). Nam cum poeseos magnam partem musicis ornamentis exstructae aemularentur lenocinia, oportebat singulis blandimentis nova opponi. Quare et totius orationis ut operis artificiosi partes diligenter disponebantur — nota sunt ista rhetorum vocabula a statuis hominumque figuris desumpta χαρακτὴρ ἁδρός, ἰσχνός (cf. e. g. Hendrickson Americ. Journ. of Phil. 26, 288) — et in singulis enuntiatis disponendis versuum stropharumque loco quaerebantur et continuatio diligenter in partes digesta ita ut paribus membris oppositis aequipararetur rhythmica compositio, et clausulae numerose cadentes. Restabat cantus, quem ut ex audientium auribus memoriaque expellerent, rhetores summopere curabant, ne sonorum flumen amoenum tamquam scopulis turbaretur consonantium multitudine aut absonis litteris. Insuper in actionis primordiis iam ante Aristotelem viderunt una cum affectu vocis magnitudinem et altitudinem mutari. Τρία γάρ ἐστι inquit Aristoteles Rhet. 1403 b 30 περὶ ὧν σκοποῦσιν· ταῦτα δ' ἐστὶ μέγεθος ἁρμονία ῥυθμός. Iam praeter ipsos grammaticos, qui tum ab Homero orsi elementorum condebant doctrinam, ut Dionysius Olynthius (v. i. p. 118), omnes eos enumeravimus opinor, qui causa quacumque commoti, ad vocis et verborum partes atque principia recurrebant. Ultimi postea accedebant Stoici, qui orsi a voce dialecticam tractabant, quorumque praecipue post Diogenem Babylonium (cf. Diog. Laert. 7, 55) de voce et grammaticis rebus merita nota sunt, cf. Diog. Laert. 7, 44 sq., 55 sq. Stoicis praeierat Xenocrates, qui secundum Porphyrium in Ptol. Harm. p. 193 a vocis fine orsus incohaverat dialecticam, cuius disquisitionis initio physicae, sed quae postea certe deberet ad grammatica progredi, fragmentum fortasse servavit idem

Porphyrius p. 213 (cf. Heinze Xenokrates p. 5 sqq., Ian Musici p. 52 sqq.).

Cui adumbrationi ut exemplis colores adpingamus, age initium capiamus a vocalibus litteris, quibuscum „accentus" qualescumque sunt semper sunt coniuncti quibusque etiam a Graecis inhaerentes sentiebantur. Vocalium nomen primum occurrit apud poetas, a quibus nonnulli heroes ut litterarum inventores celebrabantur, cf. Eur. fr. 578, 2 (attulit Gardthausen Griech. Paläographie II p. 3), ubi Palamedes sic gloriatur: τὰ τῆς γε λήθης φάρμακ' ὀρθώσας μόνος ἄφωνα καὶ φωνοῦντα[1]), συλλαβάς[2]) τε θεὶς ἐξηῦρον ἀνθρώποισι γράμματ' εἰδέναι; cf. Nonn. Dion. 4, 259 sqq., Aesch. Prom. 459. Omnino Euripidis fere aetate videmus studia grammatica tum primum florescentia tantopere in eruditorum deliciis esse, ut tragici poetae non vereantur litterarum formas describere, quod aliis temporibus tragico poeta vix dignum fuisset existimatum, cf. Soph. fr. 117, Eur. fr. 382, Agathonis fr. 4 p. 764 N., Achaei fr. 33 p. 754, quod postea imitatus est Theodectes p. 803. Illi aetati etiam tribuenda erit Calliae tragoedia litterarum, cuius indolem ut explicarent, viris doctis nondum contigit (cf. Hense Mus. Rh. 31, 582; de tempore et auctore cf. Wilhelm Urkunden dram. Aufführungen p. 19). Callias vocales vario modo composuit cum consonantibus[3]), cf. Athen. 453 d: βῆτα ἄλφα βᾶ, βῆτα εἶ βε͞, βῆτα ἦτα βη͞, βῆτα ἰῶτα βῑ, βῆτα οὖ βο͞, βῆτα ὖ βῡ, βῆτα ὦ βω͞. Quantum tum valuerint studia

---

1) Immerito hanc formam temptavit Nauck scribendum censens ἄφωνα φωνήεντα. Immo vocales initio etiam vocabantur φωναί, veluti in clarissimo illo abbreviationum systemate Acropolitano CIA IV 2 p. 290 v. 12 τ]ὴν οὖν φων[ὴν (contra v. 17 το]ῦ φωνήεντος), item in Calliae litterarum tragoedia apud Athen. 10, 453 f τῶν ἑπτὰ φωνῶν.

2) cf. Aesch. Sept. 468 de clipeo βοᾷ δὲ χοὖτος γραμμάτων ἐν ξυλλαβαῖς.

3) cf. ludum syllabarum vasis Caeretani quod dicitur Galassianum (cf. Röhl IGA 534; Kaibel IGSI 2420, 2; Kirchhoff Gr. Alphabet[4] 135; Bergk Gr. Lit. I 352 adn. 121; Dieterich Mus. Rhen. 56 (1901) 78); ibi legitur bi ba bu be gi ga gu ge. — Litterarum nomina lapidibus tradita composuit Meisterhans Gramm. d. att. Inschr. p 5 adn. 18.

grammatica quemque ad gradum progressa sint, eius rei egregius testis est vir summae gravitatis Archinus, qui quamvis occupatus in summis rebus administrandis, ut Ionicas litteras commendaret, descendit ad grammaticorum subtilitates (de quo post Usenerum Mus. Rh. 25, 590 sq. omnia quae scimus composuit Larfeld Handbuch der griech. Epigraphik II p. 452 sq. adn. 9 et 10). Archinus duplicum consonantium φ ζ ξ, in quibus magna pars rei versabatur, naturam teste Theophrasto apud Syrianum in Aristot. Metaph. 1093a 20 (ed acad. vol. V 940b 15 ed. Usener) sic explicavit: ἔλεγε γὰρ ὁ Ἀρχῖνος ἢ ἔξω τι παρὰ τὴν μύσιν τῶν χειλῶν ἐκφωνεῖσθαι, ὥσπερ τὸ π̅, καὶ διὰ τοῦτο τὸ ψ̅ πρὸς τῷ ἄκρῳ γεννᾶσθαι τῆς γλώττης ὡς ἐκ τοῦ π̅ σ̅ συγκείμενον· ἢ τῷ πλάτει τῆς γλώττης παρὰ τοὺς ὀδόντας, ὥσπερ τὸ δ̅, καὶ διὰ τοῦτο τὸ ζ̅ κατὰ ταύτην γεννᾶσθαι τὴν χώραν· ἢ τῷ κυρτῷ καὶ πιεζομένῳ ἐκ τοῦ ἐσχάτου, ὥσπερ τὸ κ̅, ὅθεν τὸ ξ̅ προϊέναι. En tenemus egregiam illustrationem verborum Aristotelis (Poet. 1456 b 31) τὰ στοιχεῖα διαφέρειν σχήμασί τε τοῦ στόματος καὶ τόποις[1]). Ad haec multa contribuit Plato in Cratylo, praecipue c. 37, ubi phoneticam descriptivam q. d. incohavit. Accedit Theaeteti finis, cf. de sigma et beta litteris 203 b τὸ σῖγμα τῶν ἀφώνων ἐστί, ψόφος τις μόνον, οἷον συριττούσης τῆς γλώττης· τοῦ δ' αὖ βῆτα οὔτε φωνὴ οὔτε ψόφος. Quatenus progressa sit usque ad Platonem elementorum notitia, apparet ex Cratyli 424 cd: ἆρ' οὖν καὶ ἡμᾶς οὕτω δεῖ πρῶτον μὲν τὰ φωνήεντα διελέσθαι, ἔπειτα τῶν ἑτέρων κατὰ εἴδη τά τε ἄφωνα καὶ ἄφθογγα — οὑτωσὶ

---

1) Iam Pythagorei animadverterant peculiarem naturam duplicum consonantium, sed sat habuerant eas cum musicae consonantiis primariis componere, teste Aristotele Metaphys. 1093 a 20 (ad quem locum explicandum Syrianus accessivit Archinum). Consonantium doctrinam videmus perfectam in consonantium tabula Delphica (cf. Tannery BCH 1896/97 p. 422 sqq.; Gardthausen Pal. II 268). In cuius maiore fragmento pro exemplis, quomodo etiam reliquae consonantes binae singulis signis possint exprimi, videntur poni ΖΞΨ. Deinde in triadas copulantur ΒΓΔ, ΤΚΠ, ΘΧΦ, Ν—, ita ut teneamus divisionem in mutas et liquidas (cf. i. Platonem), quarum mutae dividuntur in tenues, medias, aspiratas. Fortasse eadem res est in abbreviationis systemate Acropolitano CIA IV 2, 4321. Sed lapis nimis est mutilatus, ita ut certi quid statui vix possit.

γάρ που λέγουσιν οἱ δεινοὶ περὶ τούτων — καὶ τὰ αὖ φωνήεντα μὲν οὔ, οὐ μέντοι γε ἄφθογγα; καὶ αὐτῶν τῶν φωνηέντων ὅσα διάφορα εἴδη ἔχει ἀλλήλων κτλ.; cf. Phileb. 18 b c.

Sed etiam litterarum inter se necessitudines tum considerabantur, sicuti iam Democritus teste Aristotele Metaph. 985 b 15 statuerat elementa differre secundum ῥυσμόν, διαθιγήν, τροπήν (cf. Diels Elementum p. 13); cf. Plat. Sophist. 253 a (τῶν γραμμάτων) τὰ μὲν ἀναρμοστεῖ που πρὸς ἄλληλα, τὰ δὲ ξυναρμόττει. — τὰ δέ γε φωνήεντα διαφερόντως τῶν ἄλλων οἷον δεσμὸς διὰ πάντων κεχώρηκεν, ὥστε ἄνευ τινὸς αὐτῶν ἀδύνατον ἁρμόττειν καὶ τῶν ἄλλων ἕτερον ἑτέρῳ. — πᾶς οὖν οἶδεν ὁποῖα ὁποίοις δυνατὰ κοινωνεῖν, ἢ τέχνης δεῖ τῷ μέλλοντι δρᾶν ἱκανῶς αὐτά; — opus sane est arte grammatica. — τί δέ; περὶ τοὺς τῶν ὀξέων καὶ βαρέων φθόγγους ἆρ' οὐχ οὕτως; ὁ μὲν τοὺς συγκεραννυμένους (i. e. ἁρμονικούς) τε καὶ μὴ (i. e. ἀναρμόστους) τέχνην ἔχων γιγνώσκειν μουσικός —. Itaque vocales sunt vinculum quod litteras in verba iungit iusta ratione mixturae, sicuti soni recte mixti atque compositi efficiunt harmoniam. Scilicet si vocales ut vinculum, δεσμός, vocantur ἁρμονία, id absque similitudine musica potest intellegi ex vocis illius vi primaria; sed similitudo elementorum musicorum arte cum iis, quae de vocalibus dicta sunt, est coniuncta (cf. Aristox. p. 128 in. Mcr.); quare utique quaerenda sunt similia. Quibus relegamur ad Pythagoreornm somnia.

Constat Pythagoreos analogia abusos esse; cum iis rerum natura in numeris posita esset, secundum numerorum paritatem occultas affinitates atque necessitudines solebant statuere. Quod non sine irrisione impugnat Aristoteles in Metaphysicorum fine, cf. 1093 a 10 ὥστ' εἴ τισιν ὁ αὐτὸς ἀριθμὸς συνεβεβήκει, ταὐτὰ ἂν ἦν ἀλλήλοις ἐκεῖνα τὸ αὐτὸ εἶδος ἀριθμοῦ ἔχοντα, οἷον ἥλιος καὶ σελήνη τὰ αὐτά. ἀλλὰ διὰ τί αἴτια ταῦτα; ἑπτὰ μὲν φωνήεντα, ἑπτὰ δὲ χορδαὶ ἢ ἁρμονίαι, ἑπτὰ δὲ αἱ πλειάδες. Revera septem sonis unaquaeque harmonia quondam conficiebatur. Constat igitur iam veteres Pythagoreos singulas vocales composuisse cum singulis sonis harmonicis et vocales contendisse harmoniam efficere. Neque stella-

rum deest comparatio; idem Aristoteles apud Porphyr. vit. Pyth. 41 narrat Pythagoram τὴν πλειάδα vocasse Μουσῶν λύραν (fr. 196 Rose). His veterum somniis inducta „(hat) die neupythagoreische Schule das Alphabet an den Himmel versetzt. Die sieben Planeten werden mit den Vokalen identifiziert, weil sie die Sphärenharmonie hervorrufen und erhalten deren Zeichen ᾱ ε̄ η̄ ῑ ο̄ ῡ ω̄" (Diels Elementum p. 44); cf. Excerpta ex Nicomacho p. 276, 8 Ian: καὶ γὰρ δὴ καὶ οἱ φθόγγοι σφαίρας ἑκάστης τῶν ἑπτὰ ἕνα τινὰ ψόφον ποιὸν πρώτως (Diels p. 44[1], codd. πρώτους) ἀποτελεῖν πεφυκυίας, οἷς δὴ τὰ στοιχεῖα τὰ φωνήεντα ἐπωνόμασται, ἄρρητα μὲν αὐτὰ καθ' αὑτά —. διότι κἀνταῦθα τοῦτο δύναται ὁ φθόγγος, ὃ δὴ ἐν ἀριθμῷ μὲν μονάς, ἐν δὲ γεωμετρίᾳ σημεῖον, ἐν δὲ γράμμασι στοιχεῖον· συντιθέμενα δὲ μετὰ τῶν ὑλικῶν (οἷα δὴ τὰ σύμφωνα) ὥσπερ ἡ ψυχὴ μὲν τῷ σώματι, ἡ δὲ ἁρμονία ταῖς χορδαῖς, ἀποτελεῖ ἡ μὲν ζῶα, ἡ δὲ τόνους καὶ μέλη, τὰ δὲ δραστικὰς δυνάμεις καὶ τελεστικὰς τῶν θείων. — ὅτι (p. 277, 9) ὅσοι τῇ ἑπταφθόγγῳ ὡς φυσικῇ κατεχρήσαντο συμφωνίᾳ, ἐντεῦθεν ἔλαβον· οὐκ ἀπὸ τῶν σφαιρῶν τὸ τοιοῦτον, ἀλλ' ἀπὸ τῶν ἐνδεδομένων εἰς τὸ πᾶν ἐξ αὐτῶν ἐναρμονίων ἤχων, οὓς δὴ καὶ μόνους τῶν στοιχείων φωνήεντάς τε καὶ φθογγήεντας καλοῦμεν. Ac primum quidem vocales comparantur cum anima, consonantes cum corpore, quae similitudo etiam ad grammaticos pervenit; cf. schol. in Dionys. Thrac. p. 198, 16 H. (attulit Ian p. 228[1]) τὰ μὲν φωνήεντα τῇ ψυχῇ ἐοίκασι, τὰ δὲ σύμφωνα τῷ σώματι; Priscian. I 17 p. 13, 22. Secundum nonnullos Pythagoreos animam fuisse corporis harmoniam non iam est quod moneam. Deinde disertis verbis vocales componuntur cum sonis harmonicis, consonantes cum materie; generaliter antea elementa musica, grammatica, mathematica comparata erant. Similis est locus Ps.-Archytae (Fr. Schulte Archytae q. f. de notionibus univ. et de oppositis libellorum rell., diss. Marp. 1908, fr. 35, 15 notionum universalium): συνεχὴς δὲ ὁ χρόνος καὶ οὐ διωρισμένος ὥσπερ ἀριθμὸς καὶ λόγος καὶ ἁρμονία· τῶ μὲν γὰρ λόγω ταὶ συλλαβαὶ τὰ μόρια, ταῦτα δὲ διωρισμένα, καὶ τᾶς ἁρμονίας τοὶ φθόγγοι καὶ τῶ ἀριθμῶ ταὶ μονάδες. Sed haec a vetustioribus pendere ostendit Plato, qui saepius componit elementa grammatica et

musica, veluti eo a quo orsi sumus Sophistae loco; cf. etiam Theaet. 206 ab; Aristox. p. 128 in. Mcr. Praeterea vide Chalcid. in Tim. p. 110, 9 Wr. = Favon. Eulog. in Somn. Scip. p. 14, 31 Holder ∾ Adrast. apud Theonem de mus. p. 19, 6 Hiller, ubi componuntur ὀνόματα sive ῥήματα cum συστήμασι, syllabae cum intervallis (sicuti iam veteres duplices consonantes cum intervallis composuerant, v. s.), litterae cum sonis, quae ambo dicuntur φωναὶ στοιχειώδεις, cf. Fries Mus. Rhen. 58 (1903) 124; cf. etiam Censorin. de die nat. c. 10, 5. Denique addam quae tradit Iamblichus vit. Pyth. c. 34 p. 168 N., qui locus quamvis suspectus atque turbidus, tamen ostendit a Pythagoreis vocales dictas esse harmoniam: (Μητρόδωρος ὁ Θύρσου) φησὶ τὸν Ἐπίχαρμον καὶ πρὸ τούτου τὸν Πυθαγόραν τῶν διαλέκτων ἀρίστην λαμβάνειν τὴν Δωρίδα, καθάπερ καὶ τὴν ἁρμονίαν τῆς μουσικῆς· καὶ τὴν μὲν Ἰάδα καὶ τὴν Αἰολίδα μετεσχηκέναι τῆς ἐπὶ χρώματος προσῳδίας, Ἀτθίδα δὲ καταπορέστερον μετεσχηκέναι τοῦ χρωμάτος, τὴν δὲ Δώριον διάλεκτον ἐναρμόνιον εἶναι, συνεστηκυῖαν ἐκ τῶν φωναέντων γραμμάτων. Unde apparet vocales dictas esse ἤχους ἐναρμονίους (cf. Exc. ex. Nicomacho l. l. ex.), i. e. ἁρμονίας πλήρεις, quod sive falsarius sive Pythagorista quidam somnians rettulit ad genus enharmonium (quod praeterea vocabatur ἁρμονία).

Quibus locis comparatis tandem constat de Platonis loco multum vexato (Crat. 416 b): τί δὲ τὸ καλόν; — τοῦτο χαλεπώτερον κατανοῆσαι· καίτοι λέγει γε αὐτό· ἁρμονίᾳ ⟨γὰρ⟩[1]) μόνον καὶ μήκει τοῦ ο̅υ̅ παρῆκται: i. e. καλόν factum est ex καλοῦν ἁρμονίᾳ τοῦ ο̅υ̅ καὶ μήκει[2]) τοῦ ο̅υ mutatis. ἁρμονία τοῦ ο̅υ̅ ex Pythagoreorum usu est sonus vocalis, qui ex ο̅υ̅ mutatur in ο̅, et omnis cum eo coniuncta pronun-

1) Hoc γάρ addendum censeo collatis locis 398 c τοῦτο οὐ πάνυ χαλεπὸν ἐννοῆσαι· σμικρὸν γὰρ παρῆκται αὐτῶν τὸ ὄνομα, et 417 a b κέρδος δὲ νῦ ἀντὶ τοῦ δέλτα ἀποδιδόντι ἐς τὸ ὄνομα δηλοῖ ὃ βούλεται· τὸ γὰρ ἀγαθὸν κατ' ἄλλον τρόπον ὀνομάζει.

2) Vocales et syllabas differre secundum μῆκος metrici rhythmicive dudum viderant, id quod ostendit vox μέτρον (cf. Aristoph. Nub. 638 sqq.); cf. Doric. disp. p. 645, 7 Diels[2], Aristot. Cat. 4 b 32.

tiandi proprietas, sine qua vocalis omnino non potest proferri[1]). Haec omnia quae necessario coniuncta sunt cum sono vocali, τῆς φωνῆς σχῆμα aliquod, altitudinis atque magnitudinis quidam gradus, formantur iisdem fere vocis instrumentis (de quibus cf. Plat. Crat. 423 b; Aristot. hist. animal. 535 a ex.; Aristox. apud Dionys. de comp. p. 49, 1 U.-R.) quibus eduntur soni musici, id quod Pythagoreos fortasse commovit, ut vocales vocarent harmoniam. Sed etiam gravius est, quod in cantu solae vocales portant melodiam (vocisque magnitudinem variant), cum consonantes non solum otiosae, sed etiam impedimento sint, ita ut musici omnibus temporibus consonantes nimis difficiles vel adeo cumulatas studuerint vitare.

Sed iam opus erat in vocalibus discerni singula, pronuntiandi modum ab iis quae accedunt, altitudinis et magnitudinis gradu. Qua in quaestione omnino evanescebat scriptae vocis imago, quae tum carebat signis; et omnia deducebantur ab ipsa pronuntiatione, ita ut inquirenti verba plerumque ita sese offerrent ut in totius enuntiati tenore edebantur. Tum autem mutabatur pronuntiatio secundum affectum et saepe eadem verba diverso modo edebantur, unde apparebat accedere aliquid ad ipsos sonos, qui etiam sine actione manebant iidem, si quis eos legebat ὥσπερ ἀπαριθμῶν (cf. Isocr. 5, 26). Sic vidimus iam ante Aristotelem (cf. Rhet. 1403 b 27) eos rhetores, qui actioni operam dederunt praeeunte Thrasymacho in Commiserationibus, discrevisse in voce μέγεθος (πότε [δεῖ χρῆσθαι] μεγάλῃ [φωνῇ] καὶ πότε μικρᾷ) ἁρμονίαν (πῶς τοῖς τόνοις, οἷον ὀξείᾳ καὶ βαρείᾳ καὶ μέσῃ [φωνῇ]), ῥυθμόν. Haec isti musicorum aemuli ex poesi musicis ornamentis exstructa ad nudum sermonem transtulerant; et erat harmonia totius enuntiati quasi cantilena quae efficitur acuminis et gravitatis mixtura. Hic usus eius vocis, qui non congruebat cum Aristotelis consuetudine, iam tum videbatur recurrere ad sophistarum aetatem. Quod mox etiam verisimilius fiet.

1) Non recte hic voce ἁρμονία exprimi accentum viri docti contendunt post Martinum Schanz Die Sophisten 1867 p. 178. Sed longius a vero aberravit Jannaris Am. Journ. 22, 81 sq., qui contendit ἁρμονίαν esse congruentiam („symmetry“) nescioquam et eicit verba καὶ μήκει τοῦ ο̅υ̅.

Iam physici Pythagorei, qui ut par erat cum peculiari diligentia inquirebant in harmoniae fundamenta, viderunt in sermone non secus atque in sonis musicis inesse acumen et gravitatem (cf. Archytae fr. 1, p. 259, 13 sqq.); praeterea Plato, eosdem Pythagoreos secutus (id quod ostendit acumen ut celeritas vocis explicatum, cf. Aristot. Top. 107 a 15), vocem generaliter (i. e. et musicam et reliquam) dividit in acutam gravem magnam parvam (Tim. 67 b; cf. „Timaeum Locrum" 101 b; Aristot. de anima 422 b 29); porro Aristoxenus, cum vocis motum excuteret, teste Nicomacho p. 238, 18 Ian nitebatur Pythagoreorum studiis, quos ideo constat accuratius tractasse discrimen quod intercedit inter sermonem et cantum (cf. Porphyrium de Archyta p. 260, 19 Diels², praeterea Crat. 423 c d, ubi Plato subtiliter exponit, quomodo imitandi ratione differant musica et sermo). Quid multa? Pythagorei certe non defuerunt, cum vocalium harmoniae partes detegerentur. Sic iam sophistarum aetate contigit, ut „accentuum" natura diversa a vocalium pronuntiatione etsi cum iis semper coniuncta quodammodo adumbraretur; cf. Doric. disputat. Diels Vors² 645, 3 (locum attulit Kühner-Blass Gr. Gramm I³ p. 318; cf. Vendryes p. 22): ἐγὼ δὲ οὐ πράγματος τοσοῦτον ποτιτεθέντος ἀλλοιοῦσθαι δοκῶ τὰ πράγματα, ἀλλ' ἁρμονίας διαλλαγείσης· ὥσπερ „Γλαῦκος" καὶ „γλαυκός" καὶ „Ξάνθος" καὶ „ξανθός" καὶ „Ξοῦθος" καὶ „ξουθός". ταῦτα μὲν τὴν ἁρμονίαν διαλλάξαντα διήνεικαν, τὰ δὲ μακρῶς καὶ βραχυτέρως ῥηθέντα, „Τύρος" καὶ „τυρός", „σάκος" καὶ „σακός", ἅτερα δὲ γράμματα διαλλάξαντα· „κάρτος" καὶ „κρατός", „ὄνος" καὶ „νόος". ἐπεὶ ὧν οὐκ ἀφαιρεθέντος οὐδενὸς τοσοῦτον διαφέρει, τί δή, αἴ τίς τι ποτιτίθητι ἢ ἀφαιρεῖ [1]); Iam sophistae [2]) igitur in unaquaque voce agnoverunt

1) Notandum est hic eosdem mutationis occurrere modos, quos Plato in Cratylo adhibet (cf. 399 a sqq.). Praeivisse videntur sophistarum libelli, qui quaerebant essentne nomina natura an lege.

2) De disputationum patria non constat. „Der Dialekt weist auf Argolis (Epidauros) oder argivische Kolonien hin (jetzt Wilamowitz)" Diels² ad 635, 17. Contra Thumb Handbuch d. gr. Dialekte p. 99 in. nil dicit obstare, quominus eas Siciliae aut Magnae Graeciae (i. e. Pythagoristarum patriae) tribuamus. Ibidem frequentes erant eristici, imprimis Gorgiae discipuli, a quibus disputationes pendere putat Süss Ethos p. 70⁴.

harmoniam (Stimmung) quandam, i. e. acumen et gravitatem lege quadam mixta, — id quod gravissimum est ad cognoscendam opinionem, quam Graeci de accentibus linguae suae habuerunt; velutsi Ξάνθος mutatur in ξανθός, prioris syllabae acumen aliquantulum remittitur, contra posterioris augetur.

Sophistae verba egregie illustrantur loco Theaet. 163b, ubi Plato exponit barbarorum linguae alicuius sonos quidem etiam expertes audire, at non intellegere sensum, sicuti illitterati etiam litterarum formas vident: ΣΩ. οἷον τῶν βαρβάρων πρὶν μαθεῖν τὴν φωνὴν πότερον οὐ φήσομεν ἀκούειν, ὅταν φθέγγωνται, ἢ ἀκούειν τε καὶ ἐπίστασθαι ἃ λέγουσι; καὶ αὖ γράμματα μὴ ἐπιστάμενοι, βλέποντες εἰς αὐτὰ πότερον οὐχ ὁρᾶν ἢ ἐπίστασθαι, εἴπερ ὁρῶμεν, διισχυριούμεθα; ΘΕΑΙ. αὐτόγε, ὦ Σώκρατες, τοῦτο αὐτῶν, ὅπερ ὁρῶμέν τε καὶ ἀκούομεν, ἐπίστασθαι φήσομεν· τῶν μὲν γὰρ τὸ σχῆμα καὶ τὸ χρῶμα ὁρᾶν τε καὶ ἐπίστασθαι, τῶν δὲ τὴν ὀξύτητα καὶ βαρύτητα ἀκούειν τε ἅμα καὶ εἰδέναι· ἃ δὲ οἵ τε γραμματισταὶ περὶ αὐτῶν καὶ οἱ ἑρμηνεῖς διδάσκουσιν, οὔτε αἰσθάνεσθαι τῷ ὁρᾶν ἢ ἀκούειν οὔτε ἐπίστασθαι. Sermocinantes ergo acutos et graves sonos edunt, ex quibus componitur illa harmonia, quae et in toto enuntiato et in singulis vocibus cernitur. Nam quin haec uniuscuiusque vocis harmonia eadem sit cum rhetorum illa, quae actione variatur, non dubitabimus, dummodo meminerimus illa aetate voces signis caruisse regulasque ab ipsa pronuntiatione esse abstractas. Itaque Aristoxenus priorum pressit vestigia, cum diceret (p. 110, 4 Mcr.) λέγεται γὰρ δὴ καὶ λογῶδές τι μέλος, τὸ συγκείμενον ἐκ τῶν προσῳδιῶν τῶν ἐν τοῖς ὀνόμασιν (v. i.)· φυσικὸν γὰρ τὸ ἐπιτείνειν καὶ ἀνιέναι ἐν τῷ διαλέγεσθαι. Quodsi suspicati sumus non sine Pythagoreorum ope ex vocalium harmonia factam esse accentuum harmoniam, ea opinio commendatur loco Diomedis grammatici p. 430, 30 K. (Schöll test. 10): „ut nulla vox sine vocali est, ita sine accentu nulla est; et est accentus, ut quidam recte putaverunt, velut anima vocis“; cf. Pompeium p. 126, 27 (test. 11) et Mart. Capell. III p. 65, 19 Eyss. (test. 12), qui locutioni „anima vocis“ addit „et seminarium musices“. Meminimus vocales ut harmoniam vocatas esse vocis animam. Haec omnia dicta sunt ex mente et consuetudine eorum, qui

animam sub harmoniae imagine intuebantur (i. e. Pythagoreorum, et Aristoxeni teste Cic. Tusc. 1, 10, 19) quibusque proclive erat omnia, in quibus cernebant harmoniam, cum necessitudine corporis et animae comparare. Ceterum ne apud posteriores quidem plane evanuerunt harmoniae prosodiacae vestigia. Dionysius Thrax accentum sic definivit (p. 6 Uhl.): τόνος ἐστὶν ἀπήχησις φωνῆς ἐναρμονίου, ἢ κατὰ ἀνάτασιν ἐν τῇ ὀξείᾳ ἢ κατὰ ὁμαλισμὸν ἐν τῇ βαρείᾳ ἢ κατὰ περίκλασιν ἐν τῇ περισπωμένῃ; i. e. accentus est talis pronuntiatio sonorum, ut insit harmonia ex acumine et gravitate mixta[1]) (nam etiam in circumflexo est acumen et gravitas). Sed etiam ad Ps.-Arcadium (Iacobum Diassorinum, cf. Cohn P.-W. II 1155) de accentuum inventione p. 186 Barker nescio quo modo pervenit notitia quaedam accentuum harmoniae: οἱ χρόνοι καὶ οἱ τόνοι καὶ τὰ πνεύματα Ἀριστοφάνους ἐκτυπώσαντος γέγονε πρός τε διαστολὴν τῆς ἀμφιβόλου λέξεως καὶ πρὸς τὸ μέλος (sic Villoisonus pro μέλλον) τῆς φωνῆς συμπάσης καὶ τὴν ἁρμονίαν, ὡς ἐὰν ἐπᾴδοιμεν φθεγγόμενοι[2]).

Itaque eo usque progressi sumus, ut teneamus uniuscuiusque vocis harmoniam ex acumine et gravitate compositam. Unde pergendum erat ad syllabas; nam doctrina prosodiaca quo diutius tractabatur, eo subtilior facta magis magisque ad singula descendebat, dum unaquaeque syllaba atque vocalis littera certum acciperet accentum. Plato quidem

---

1) Sensum Dionysii non assecutus est scholiasta Marcianus p. 309, 41 H. ἀπήχησις φωνῆς ἐναρμονίου τουτέστιν ἐκφώνησις ἔναρθρος καὶ ἐγγράμματος, neque Herodianus I 5 Lentz (qui προσῳδίᾳ etiam subiungit spiritus, v. i.) προσῳδία ἐστὶ ποιὰ τάσις ἐγγραμμάτου φωνῆς ὑγιοῦς. Melius schol. Vat. p. 136, 16 et Moschopulus (Anonymi gramm. epitoma I ed. Egenolff 1877 p. 37, 11) τόνος - ἐστὶν ἐπίτασις ἢ ἄνεσις ἢ μεσότης συλλαβῶν εὐφωνίαν ἔχουσα.

2) Paulo aliter res se habet in verbis Maximi Planudis (de grammatica dial., Bachmanni Anecd. II p. 100, 30), qui censet in versibus componendis neque metrum esse neglegendum neque accentuum rhythmum: μηδαμῶς τὴν τῶν τόνων περιορᾶν ἁρμονίαν (i. e. symmetriam rhythmicam)· ἔσῃ γὰρ δύο καλῶς συνάψας εἰς ἕν, ποδῶν τε μέτρον καὶ τόνων ῥυθμόν. Ceterum reliqua vocabula prosodiaca, ὀξύς, βαρύς, τόνος (v. i.) facile „harmoniae“ memoriam servabant.

in Cratylo, ut par est in veriloquiis quaerendis, magis curabat totam vocem; tamen etiam de syllabis loquitur, cf. 399a sq.: πρῶτον μὲν γὰρ τὸ τοιόνδε δεῖ ἐννοῆσαι περὶ ὀνομάτων, ὅτι πολλάκις ἐπεμβάλλομεν γράμματα, τὰ δ' ἐξαιροῦμεν, παρ' ὃ βουλόμεθα ὀνομάζοντες, καὶ τὰς ὀξύτητας μεταβάλλομεν. οἷον Διὶ φίλος· τοῦτο ἵνα ἀντὶ ῥήματος ὄνομα ἡμῖν γένηται, τό τε ἕτερον αὐτόθεν ἰῶτα ἐξείλομεν καὶ ἀντὶ ὀξείας τῆς μέσης συλλαβῆς βαρεῖαν ἐφθεγξάμεθα. ἄλλων δὲ τοὐναντίον ἐμβάλλομεν γράμματα, τὰ δὲ βαρύτερα < ὀξύτερα add. Buttmann > φθεγγόμεθα. — ἀληθῆ λέγεις. — τούτων τοίνυν ἓν καὶ τὸ τῶν ἀνθρώπων ὄνομα πέπονθεν, ὡς ἐμοὶ δοκεῖ. ἐκ γὰρ ῥήματος ὄνομα γέγονεν, ἑνὸς γράμματος τοῦ ἄλφα ἐξαιρεθέντος καὶ βαρυτέρας τῆς τελευτῆς γενομένης; i. e. ὁ ἄνθρωπος (399 c) ἄνθρωπος ὠνομάσθη, ἀναθρῶν ἃ ὄπωπε. Sententiarum nexus satis contorte sic procedit: duo enumerantur mutationis modi, 1) littera eicitur et syllaba acuta fit gravis, 2) contra adduntur litterae et ex syllaba gravi fit acuta. Prioris classis exemplum est Δίφιλος; sed ἄνθρωπος, postquam orationis tenor interruptus est verbis ἀληθῆ λέγεις, non illustrat alteram classem, quae ad priorem addita est ut omnes mutationis modi compleantur, sed omnino accedit ad illos qui interea coaluerant; sic rursus in ἀνθρώπῳ eicitur littera et exitus fit gravis. Itaque ex rhemate Διὶ φίλος τὸ ἕτερον ἰῶτα ἐξείλομεν, et restat Δὶ φίλος. Harum trium syllabarum media ex acuta fit gravis[1]). Hoc primum exstat de syllabae prosodia testimonium: vocis φίλος prior syllaba est acuta, vocis Δίφιλος media gravis. Scilicet non gravior. Itaque oportet intersit inter utramque intervallum non minimum, sed quod auribus bene possit excipi. Apud musicos quidem vidimus harmoniam dici compositam esse ex acumine et gravitate; et κατὰ συνημμένον quartus quisque tonus gravior diatessaron consonat cum quarto quoque acutiore: e cum a, f cum b, g cum c eqs., κατὰ διεζευγμένον autem

---

1) De ì in í mutato nullum verbum. Sed hinc nihil concludendum; nam illius aetatis homines nondum adsueti erant grammatica ἀκριβολογίᾳ. Sic etiam Doricus ille sophista in quantitatis mutatione tacet de harmonia una variata; neque Plato est accuratior.

quintus quisque gravior diapente effecit intervallum cum quinto quoque acutiore, ita ut, cum harmonia dicatur ex acumine et gravitate componi, e. g. e sonus sit gravis, a sive h acutus. De nudo sermone tenemus clarissimum testimonium Aristoxenii cuiusdam apud Dionys. de comp. p. 40 ex. U.-R.: διαλέκτου μὲν οὖν μέλος ἑνὶ μετρεῖται διαστήματι τῷ λεγομένῳ διὰ πέντε ὡς ἔγγιστα, καὶ οὔτε ἐπιτείνεται πέρα τῶν τριῶν τόνων καὶ ἡμιτονίου ἐπὶ τὸ ὀξὺ οὔτε ἀνίεται τοῦ χωρίου τούτου πλέον ἐπὶ τὸ βαρύ. Etsi haec sic ut dicuntur non recta — nam vel in cotidiano sermone nos quidem multo maiora loquimur intervalla, ut taceam de affectu (cf. e. g. Thomas Die Instrumentation der Meistersinger I p. 16 sqq.) — neque a musico homine statuta sunt, tamen id fortasse verum est syllabam acutam diapente vel diatessaron fere intervallo afuisse aut afuisse creditam esse a reliquis. Praeterea si syllaba acuta paulisper modo fortius pronuntiabatur quam ceterae — et phonetici quidem negant etiam ab earum linguarum accentu, in quibus longe praevalet „musica“ prosodia, omnino abesse ictum quantulumcumque —, vel ideo intervallum illud maius videbatur quam re vera erat, siquidem etiam parium altitudine sonorum alter, paululo fortior, facile acutior existimatur (cf. Stumpf Tonpsych. I 345 sqq., praecipue p. 365). Sed cave Platoni imputes, quod grammatici demum posteriores docuerunt, omnes syllabas praeter acutas esse graves. Acutam quidem in omni voce Platoni apparuisse concludas ex verbis καὶ τὰς ὀξύτητας μεταβάλλομεν; sed reliquae graviores quidem sunt, non graves esse debent; veluti ἀν(α)θρῶν ἃ ὄπωπε fit ἄνθρωπος ἑνὸς γράμματος τοῦ [δευτέρου sc.] ἄλφα ἐξαιρεθέντος καὶ βαρυτέρας τῆς τελευτῆς γενομένης. Eodem modo Aristoteles pro positivo ὀξύς et βαρύς (cf. Soph. El. 179 a 14) comparativo quoque utitur Soph. El. 177 b 35 sqq. (agitur de ambiguitatibus prosodiacis) οὐ γὰρ ταὐτὸ σημαίνει ὀξύτερον, τὸ δὲ βαρύτερον ῥηθέν. Idem ὀξύτητα et βαρύτητα inter elementorum differentias affert Poet. p. 1456 b 31 sqq. (v. i.); cf. etiam Dionys. de Demosth. 242, 22 U.-R.

Plato igitur in unaquaque voce agnoscit harmoniam quae consistit in acutarum et gravium syllabarum mixtura, ita ut per se appareat harum unam syllabam esse acutissimam,

ceteras graviores. Hactenus doctrina prosodiaca, a musicis ut vidimus condita musicisque vocabulis exstructa, arte cum illa disciplina erat coniuncta. Neque aliter res se habet in Aristotele. Omnino exspectaveris hanc disciplinam una cum tota arte grammatica — veluti cum lyricorum tractatione (praecipue metrica) — discretam esse a musicarum rerum studio atque memoria τῶν ἁρμονιῶν quae utramque coniungebant διαχασκουσῶν.

De doctrina grammatica.

Aristoteles ut vidimus saepius elementorum scientiam ad metricos relegat, unde apparet eum res prosodiacas obiter tantum stringere et iam ante eum plura fuisse enucleata, quam ab ipso comperimus[1]). Quod infra nonnullis exemplis illustrabitur. Apud Aristotelem primum occurrit vox προσῳδία ut accentus nomen. Vidimus accentuum doctrinam orsam esse a totius enuntiati tenore, deinde pervenisse ad singulas voces. Sed quo subtilior fiebat, eo magis curabat singula, dum acquiesceret in singulis syllabis atque vocalibus. Atque in sonorum seriem bene quadrabat voc ἁρμονία, quae significabat sonorum minime duorum rationem et ordinem, contra si singulae syllabae ex vocis corpore solutae considerabantur, novum desiderabatur vocabulum quod significaret id quod accedit ad unamquamque vocalem. Itaque ἁρμονία sensim disparuit ex vocabulis prosodiacis et usu probata est vox προσῳδία, quae nihil significabat nisi eum altitudinis gradum, qui singulis additur vocalibus, ut ex sermone evadat cantus. Nam τόνος, quod praeterea de sermone nuncupabatur (cf. Xen. Cyn. 6, 20),

---

1) Similiter res se habet in rhetorica, ubi Aristoteles ut ipse concedit elocutionem obiter tantum tractat, cum sciamus Gorgianos et Isocrateos ei impensam operam dedisse. Veluti certo certius est tria illa (aut certe duo) elocutionis genera Aristotele esse vetustiora, ut taceamus de Theophrasto eorum inventore. Theophrastus in rhetoricis admodum pauca novavit. Sed plerumque negleguntur Aristotelis verba Rhet. 1414 a 18 τὸ δὲ προσδιαιρεῖσθαι τὴν λέξιν, ὅτι ἡδεῖαν δεῖ καὶ μεγαλοπρεπῆ (cf. Platonis καλόν et ἡδύ et Anonymum Seguerianum 99; 100), περίεργον. En tenemus genus tenue et grande.

simul notabat magnitudinem et vehementiam, quam iam Pythagorei veteresque rhetores diligenter ab altitudine distinxerant. Sane etiam προσῳδία initio totam pronuntiationis cantilenam exprimebat, quae in ludis exercitatione excolebatur; deinde autem, postquam magis considerabantur singula, ad singulos accentus pervenit, id quod ex testimoniis apparebit. Sed προσῳδία, i. e. μελῳδία, etiam nonnullis aliis commendabatur causis. Primum Graecorum pronuntiatio multo propius accedebat ad cantum quam nostra e. g., cuius rei sat multa exstant testimonia. Saepe ii, qui excitati affectu vocem tollunt, dicuntur fere canere, cf. Aristox. p. 102 ex. ἐν τῷ διαλέγεσθαι φεύγομεν τὸ ἱστάναι τὴν φωνήν (cf. 106 in. τὸ μὲν ἑστάναι τὴν φωνὴν τὸ μένειν ἐπὶ μιᾶς τάσεώς ἐστι), ἂν μὴ διὰ πάθος ποτὲ εἰς τοιαύτην κίνησιν ἀναγκασθῶμεν ἐλθεῖν, ἐν δὲ τῷ μελῳδεῖν τοὐναντίον ποιοῦμεν, quae verba cum Aristides Quintilianus explicaret, contendit (p. 5, 6 Iahn) inter sermonem et cantum mediam esse pronuntiationem, ᾗ τὰς τῶν ποιημάτων ἀναγνώσεις ποιούμεθα; cf. Albinum apud Boetium de musica I 12. Satis multi rhetorum loci hoc illustrant, cf. Plut. Quaest. conv. 623 b τοὺς ῥήτορας ἐν τοῖς ἐπιλόγοις καὶ τοὺς ὑποκριτὰς ἐν τοῖς ὀδυρμοῖς ἀτρέμα τῷ μελῳδεῖν προσάγοντας ὁρῶμεν καὶ παρεντείνοντας τὴν φωνήν; quocum nescio quo modo (an per Theophrastum περὶ ὑποκρίσεως?) cohaeret Longin. art. rhet. I 197, 4 Sp.-H. οἰκτιζόμενον δὲ δεῖ μεταξὺ λόγου τε καὶ ᾠδῆς τὸν ἦχον ποιήσασθαι· οὔτε γὰρ διαλεγόμενός ἐστιν (ἀναπείθει γὰρ οἶκτος ἐξᾴδειν, ὅθεν ἀρχαὶ μουσικῆς χαρμονή τε καὶ λύπη, τοῦ φθέγματος ἐπεγειρομένου πρὸς τὴν μεταβολὴν τῆς λέξεως) οὔτε ᾠδῇ ἔοικεν, ἀλλὰ πίπτει μεταξὺ τούτων; similiter Aristid. Quint. p. 40, 24; cf. etiam Cic. orat. 57; 27; Quintil. 11, 3, 57 sqq.; Dion. Chrysostom. 32, 68 I 287, 8 Arnim. Denique cf. Plut. defect. orac. 421 ab, ubi divinus iuvenis, cum oracula ederet, ἐδώριζεν οὐ πόρρω μελῶν. — Praeterea cantus intervalla plerumque se applicabant ad accentus, ita ut musica προσῳδία accentus accurate depingeret, licet contrarium contendat Dionysius de comp. p. 41, 18 U.-R.: τάς τε λέξεις τοῖς μέλεσιν ὑποτάττειν ἀξιοῖ καὶ οὐ τὰ μέλη ταῖς λέξεσιν, ὡς ἐξ ἄλλων τε πολλῶν δῆλον καὶ μάλιστα ἐκ τῶν Εὐριπίδου μελῶν, ἃ πεποίηκεν τὴν Ἠλέκτραν λέγουσαν ἐν

Ὀρέστῃ κτλ. Sed haec Dionysius loquitur praeter expectationem et non sine vehementia, μᾶλλον ἐντεινάμενος ut ait Plato, ut suspiceris alium quendam contrarium dixisse. Ea saltem melodiarum fragmenta quae ad nos pervenerunt, tam accurate harmonicis intervallis depingunt accentus, ut viri docti non sint veriti ex melodia concludere, quae fuerint sermonis intervalla; cf. Wackernagel Mus. Rhen. 51, 304; Crusius Philol. 53 suppl., 113 sqq.; Ehrlich Untersuchungen p. 252. Et in universum duo observantur modi eius quae intercedit inter cantum et verba necessitudinis; aut poesis inservit musicae, ita ut verborum sensus evanescat prae cantus illecebris, aut musica id agit, ut verborum sensum etiam clariorem reddat atque efficaciorem. Alterum factum est in nostra opera antewagneriana et partim certe in Euripidis canticis choricis atque monodiis; sed plerumque tragici Graeci qui iidem erant poetae atque musici curavisse sunt putandi, ne sententiae cantu perdantur. Quare plerumque melodia se applicabat ad verba (sicuti etiam Plato Rp. 398 d [et 400 a] contendit τήν γε ἁρμονίαν καὶ τὸν ῥυθμὸν ἀκολουθεῖν δεῖ τῷ λόγῳ, etsi de tota indole magis cogitat quam de singulis). Et ut fit si verba poetae magni aestimantur, vitabantur omnia ea cantus ornamenta, quibus mens audientis avocatur a sensu, veluti melismata, quorum luxuriam in Euripide vituperat atque irridet Aristophanes (cf. Ran. 1314 εἱειειειειειλίσσετε, fortasse ad exemplum loci El. 437, ut suspicatur Graf Der Kampf um die Musik im Altertum 1907 p. 5). Itaque si prosodia musica sequebatur accentus, eo magis proclive erat hanc vocem ad nudum sermonem transferre, postquam musici harmoniam acuminis et gravitatis in eo agnoverant. Haec translatio facta est ante Aristotelem, apud quem vox apparet ut artis vocabulum usu probatum; quin eam sic iam adhibuisse videtur Dionysius Olynthius, grammaticus Ephoro prior, qui circumflexum vocavit δίτονον, ad quam vocem aptum substantivum praeter προσῳδίαν vix reperias (v. i.). Quisnam eam vocem transtulerit ad accentus, nescimus. Sed rursus tenemus v o c a b u l u m m u s i c u m, quod praeter accentus numquam musicae fines est transgressum. Unde iterum apparet Graecos in accentibus nil curavisse praeter altitudinem.

Aristoteles προσῳδίαν ita adhibet, ut et totum genus exprimat ἡ προσῳδία et singulis syllabis tribuatur προσῳδία ὀξεῖα sive βαρεῖα. Utrumque occurrit in ambiguitatum prosodiacarum tractatione [1]). Προσῳδία generaliter accentum significat Soph. El. 165 b 23: τρόποι δ' εἰσὶ τοῦ μὲν ἐλέγχειν δύο· οἱ μὲν γάρ εἰσι παρὰ τὴν λέξιν, οἱ δ' ἔξω τῆς λέξεως. ἔστι δὲ τὰ μὲν παρὰ τὴν λέξιν ἐμποιοῦντα τὴν φαντασίαν ἓξ τὸν ἀριθμόν· ταῦτα δ' ἐστὶν ὁμωνυμία, ἀμφιβολία, σύνθεσις, διαίρεσις, προσῳδία, σχῆμα λέξεως; cf. 168 a 27; 169 a 27; Poet. 1461 a 21. 166 b 1 παρὰ δὲ τὴν προσῳδίαν ἐν μὲν τοῖς ἄνευ γραφῆς διαλεκτικοῖς οὐ ῥᾴδιον ποιῆσαι λόγον, ἐν δὲ τοῖς γεγραμμένοις καὶ ποιήμασι μᾶλλον (cf. 177 b 35). 177 b 2 οὐ γὰρ ὁ αὐτὸς λόγος γίνεται διαιρούμενος (non idem qui compositus), εἴπερ μὴ καὶ τὸ ὄρος καὶ ὁ ὀρὸς [2]) τῇ προσῳδίᾳ λεχθὲν σημαίνει ἕτερον. Singuli accentus audiunt προσῳδία his locis: 179 a 11 ὅλως δ' ἐν τοῖς παρὰ τὴν λέξιν λόγοις ἀεὶ κατὰ τὸ ἀντικείμενον ἔσται ἡ λύσις ἢ παρ' ὅ ἐστιν ὁ λόγος. οἷον εἰ παρὰ σύνθεσιν ὁ λόγος, ἡ λύσις διελόντι, εἰ δὲ παρὰ διαίρεσιν, συνθέντι. πάλιν εἰ παρὰ προσῳδίαν ὀξεῖαν, ἡ βαρεῖα προσῳδία λύσις, εἰ δὲ παρὰ βαρεῖαν, ἡ ὀξεῖα. His tandem locis tenemus ipsa accentuum nomina. Opponun-

---

1) Qua in re brevem esse licet, quia acute de ea egit Wackernagel Beiträge p. 9 sqq. Quae Wackernagel de loco 166 b 3 profert, ea prorsus probo, etsi in monosyllaborum accentum ab integro erit inquirendum. Vehementer autem erravit in gravi oxytonorum, cf. Ehrlich Untersuchungen p. 250 sqq.

2) ὀρός pro ὅρος vulgato recte proposuerunt Uhlig in editione Dionysii Thracis ind. v. προσῳδία et Jannaris Am. Journ. of Phil. 22, 77. Nam plane cogitari nequit προσῳδίαν, quae vix a cantu translata erat, iam apud Aristotelem complexam esse spiritum. Immo certa huius usus testimonia non exstant vetustiora Apollonio Dyscolo Herodianoque et Sexto Empirico (v. i.). Sed scribendum est cum cod. D τὸ ὅρος καὶ ὁ ὀρός, quia accentuum notae nondum inventae erant. Sed in hanc quoque rem denuo erit inquirendum; nam interim non intellego, quomodo auctor Doricarum disputationum p. 645, 5 Diels sine notis ostenderit quid vellet. De notarum antiquissimis testimoniis cf. Guil. Schulze apud Susemihlium Lit. der Alex. I 901 in.; Nauck Aristophanis fr. p. 11; Wilamowitz Eur. Herakl. I 127 et adn. 10; Flock De Graecorum interpunctionibus, diss. Gryph. 1908 p. 8.

tur acuta prosodia et gravis; sub acuta latet flexa, cuius nomen deest apud Aristotelem (cf. 166 b 3, Wackernagel p. 9 et 11). Neque mirum est hoc deesse; nam in accentuum nominibus etiamtum musicae similitudo sentiebatur, ita ut circumflexus acuto et gravi iuxtaponi omnino non posset, cum in musica deesset talis compositio. Sed ad circumflexum suo tempore recurremus. Pro locutionibus προσῳδία ὀξεῖα et βαρεῖα invenitur etiam ὀξύτερον et βαρύτερον λέγειν: p. 166 b 5 de Hippiae Thasii problemate λύουσι γὰρ αὐτὸ τῇ προσῳδίᾳ λέγοντες τὸ ου ὀξύτερον; 178 a 2 οὐ γὰρ ταὐτὸ σημαίνει ὀξύτερον, τὸ δὲ βαρύτερον ῥηθέν (cf. Plat. Crat. 399 b).

Apud Aristotelem vox προσῳδία singulari tantum posita occurrebat. Pluralis primum invenitur apud Aristoxenum l. l. p. 110, 4: λέγεται γὰρ δὴ καὶ λογῶδές τι μέλος, τὸ συγκείμενον ἐκ τῶν προσῳδιῶν τῶν ἐν τοῖς ὀνόμασιν· φυσικὸν γὰρ τὸ ἐπιτείνειν καὶ ἀνιέναι ἐν τῷ διαλέγεσθαι. Videmus iam obduruisse usum technicum et vocem magis de singulis syllabis dici quam generaliter; nam ni ita esset, Aristoxenus qui generaliter loquitur, dixisset fere λογῶδές τι μέλος ἡ καλουμένη προσῳδία τῶν ὀνομάτων. Apparet ne hic quidem in prosodiis quicquam inesse praeter accentus, neque spiritus neque alia πάθη. Omnino huius usus posteriorum grammaticorum certa exempla id quod iam dixi non inveniuntur priora Herodiano et Sexto; cf. Philodemi Rhet. I p. 155 Sudh. ἄλλοι δὲ τοῦ βαρβαρίζειν τὸ δασύνειν ἢ ψιλοῦν ἢ ταῖς προσῳδίαις ἑτέρως τῆς συνηθείας ἐκφέρειν διαφέρειν νομίζουσιν, et Dionys. de comp. p. 86, 10 sqq.: optima elocutio est mixta ex omnibus generibus, ὅταν - αὐτῶν δὲ τῶν κώλων τὸ μὲν βραχύτερον ᾖ, τὸ δὲ μακρότερον -, ῥυθμοί τε ἄλλοτε ἄλλοι καὶ σχήματα παντοῖα καὶ τάσεις φωνῆς (v. i.) αἱ καλούμεναι προσῳδίαι διάφοροι κλέπτουσαι τῇ ποικιλίᾳ τὸν κόρον. Dionysius Thrax in grammaticae compendio tacet de προσῳδίᾳ et unum τόνον definit. Recte Uhlig in indice v. προσῳδία: „Dionysius nescio an ne tempora quidem aut spiritus prosodias nuncupaverit; nam postquam paragrapho 2 docuit recitandum esse καθ' ὑπόκρισιν, κατὰ προσῳδίαν, κατὰ διαστολήν, primum quidem ὑποκρίσεως officia persequitur, tertio loco de διαστολῆς signis i. e. de interpunctionibus disserit, secundo

de accentibus, sed nullum plane verbum habet de temporibus aut spiritibus." Quae probantur testimoniis Latinis. Nam προσῳδία cum verteretur „accentus", nil significabat praeter tenores eamque vim semper retinuit exceptis non ita multis grammaticorum locis (vide Thes. l. L. v. accentus), quibus adhibetur ad exemplum Graecae prosodiae interim mutatae.

Apud Romanos studia prosodiaca coepta sunt coli Varronis aetate. Ad quae multum contulit Tyrannionis Amiseni liber, de quo Cicero ad Att. XII 6, 2 (loc. att. Schöll p. 4): „venio ad Tyrannionem. ain tu? verum hoc fuit? sine me? — quomodo hoc ergo lues? uno scilicet, si mihi librum miseris, quod ut facias etiam atque etiam rogo. etsi me non magis liber ipse delectabit, quam tua admiratio delectavit. — sed quaeso quid ex ista acuta et gravi refertur ad τέλος?" Supplenda est sane vox prosodia, cuius etiamtum deerat interpretatio omnibus accepta. Item Varro apud [Serg.] in iis partibus, quae abscondita doctrina refertae certa ratione ei tribuuntur, adhibet vocem Graecam cum notione accentus exclusis spiritibus, cf. test. 3: „natura prosodiae in eo est quod aut sursum est aut deorsum; nam in vocis altitudine omnino spectatur adeo ut, si omnes syllabae pari fastigio vocis enuntientur, prosodia sit nulla;" cf. test. 36 in.; test. 21: „acuta exilior et brevior et omni modo minor est quam gravis, ut est facile ex musica cognoscere, cuius imago prosodia;" cf. etiam fr. 45 Funaioli. Imprimis loci illi clarissimi, test. 19 et 36, ostendunt Varronem προσῳδίαν pro accentu solo nuncupasse. Ad eius aetatem redeunt prima vertendi tentamina, cf. Gell. XIII 26 (25), 3, test. 39: „summum autem tonum προσῳδίαν acutam dicit (sc. Nigidius Figulus) et quem accentum nos dicimus, voculationem appellat" (cf. Nigidii fr. 9 p. 164 Fun.). Neque multo post videntur inventae esse voces accentus et accentiuncula; cf. Gell. XIII 6, 1 test. 38: „quas Graeci προσῳδίας dicunt, eas veteres docti tum notas vocum tum moderamenta (cf. Cic. de orat. 3, 44, 174; Kroll Mus. Rh. 62 p. 94 adn. 1) tum accentiunculas tum voculationes appellabant; et Quint. I 5, 22 test. 37: „adhuc difficilior observatio est per tenores quos quidem ab antiquis dictos tonores comperi vel accentus, quas Graeci προσῳδίας vocant."

Graecorum primus quantum vidi Sextus Empiricus tempora vocavit prosodias, cf. adv. gramm. 105 p. 622 Bekker, ubi γράμμα κοινόν dicit νυνὶ μὲν συστέλλεσθαι, νυνὶ δὲ ἐκτείνεσθαι δυνάμενον τῇ προσῳδίᾳ; cf. 106 p. 622, 31 ἀλλ' ὃν τρόπον ἡ δι' αὐτοῦ συλλαβή, καθάπερ εἴρηται ἐπὶ τῆς Ἄρες λέξεως, [ἢ] (οὐ? Bekker) χωρὶς τῆς προστιθεμένης προσῳδίας οὔτ' εἰ μακρά ἐστιν οὔτ' εἰ βραχεῖα γινώσκεται κτλ.; cf. 108 p. 623, 17. Tempora ideo videntur prosodiae subiungi, quia ex accentuum notis cognoscuntur; cf. 121 p. 627, 3. Ex Herodiani autem fine prosodiae bene apparet, quomodo huius vocis notio sit amplificata. Nam accurate sequitur Dionysii finem τοῦ τόνου, ita tamen ut spiritus et tempora addat ut accedentia: προσῳδία (I 5 Lentz) ἐστὶ ποιὰ τάσις ἐγγραμμάτου φωνῆς ὑγιοῦς (quod quadrat in solos accentus, non in reliqua πάθη), κατὰ τὸ ἀπαγγελτικὸν τῆς λέξεως ἐκφερομένη μετά τινος τῶν συνεζευγμένων περὶ μίαν συλλαβήν, ἤτοι κατὰ συνήθειαν διαλέκτου ὁμολογουμένης, ἤτοι κατὰ τὸν ἀναλογικὸν ὅρον καὶ λόγον. Sed satis opinor apparet προσῳδίαν usque ad hos grammaticos solos expressisse accentus, sicuti vox Latina semper eam retinuit notionem, quam etiam hodie habet, praeterquam quod in translato sermone post accentus naturam mutatam etiam ictum quendam significat.

Sed redeundum est ad Aristotelem, cuius nondum absolvimus nomina prosodiaca. Aristoteles sentiebat voces ὀξύς et βαρύς non sufficere ad significandos acuminis gradus, qui adhibentur in accinendo. Itaque ut totam sonorum quasi scalam notaret, musicos secutus, illis addidit τὸ μέσον, cf. Poet. p. 1456 b 31 ταῦτα δὲ (τὰ στοιχεῖα) διαφέρει σχήμασί τε τοῦ στόματος καὶ τόποις καὶ δασύτητι καὶ ψιλότητι καὶ μήκει καὶ βραχύτητι, ἔτι δὲ ὀξύτητι καὶ βαρύτητι καὶ τῷ μέσῳ, i. e. elementa praeter pronuntiationis locum et modum ita differunt, ut 1) aut tenuia sint aut aspirata aut media (cf. consonantium tabulam Delphicam), 2) aut longa aut brevia aut media, 3) aut gravia aut acuta aut inter utrumque media. Τὸ μέσον quidem in omnibus rebus observatum Aristotelis est proprium; sed in sonis praeierant musici, cf. Plat. Phil. 17 c, Ps.-Archytae de oppositis fr. 40, 6 Schulte (v. s. p. 70 et i. p. 125).

Hoc igitur Aristotelis loco non ipsa accentuum nomina occurrunt — quare vel hanc ob causam hic locum non habet flexa —, sed genera tantum enumerantur, intra quae singulae species et quantitatis et crassitudinis, ut ait Varro apud [Serg.] de accent. p. 525, 25 Keil, et altitudinis se continent. Itaque multum abest, ut Aristoteles mediae prosodiae in singulis syllabis certum tribuerit locum, id quod numquam factum esse videtur (v. i.). Sed si quis de musica ad sermonem transferebat voces ὀξύς et βαρύς, consentaneum erat assumi τὸ μέσον, quod semper cum illis coniunctum est; cf. Bacchium e. g. (p. 302, 14 Ian): τόπους δὲ τῆς φωνῆς (i. e. „Stimmregionen", sicuti Aristoteles hic mere adumbrat τοὺς τῶν προσῳδιῶν τόπους) πόσους λέγομεν εἶναι; — γ. — τίνας τούτους; — ὀξύν, μέσον, βαρύν; cf. Cleonid. p. 204, 16 Ian. Τὸ μέσον duobus locis Aristotelicis recurrit, de quibus egimus, de animal. procr. 787 a in., ubi exponit quemvis magnitudinis gradum edi posse in acumine et in gravitate, ὁμοίως δὲ καὶ κατὰ τὸν μέσον τόνον τούτων, et Rhet. 1403 b 27, ubi actionis esse dicit distinguere, quomodo voce sit utendum secundum affectus, quando magna adhibenda sit vox et quando parva, et quando media inter utramque, καὶ πῶς τοῖς τόνοις, οἷον ὀξείᾳ καὶ βαρείᾳ καὶ μέσῃ (φωνῇ). Unde apparet secundum Aristotelem, cum in unaquaque vocali sit altitudinis quidam gradus, et in toto enuntiato interdum voce media inter acumen et gravitatem opus esse, et esse syllabas, quae pronuntientur medio illo tenore; sed quaenam hae essent, neque quaesivit neque indicavit, quandoquidem omnino non quaesivit, quo quaeque syllaba pronuntianda esset tenore. Sic media etiam abest ab ambiguitatibus (cf. Soph. El. 179 a 11).

Ergo apud Aristotelem non occurrit ipsa ἡ μέση προσῳδία, etsi hanc statuisset, si de singularum syllabarum tenore accurate egisset. Et statuit eam Theophrastus, teste Varrone apud [Sergium] p. 81 Schöll, qui praeterea mediae auctores affert grammaticos Glaucum Samium et Hermocraten Iasium, Callimachi magistrum (v. i.), et Peripateticum Athenodorum (v. i.), praeterea Tyrannionem Amisenum (p. 79 Schöll), Andronici Rhodii editoris Aristotelis amicum. Unde apparet mediam ab Aristotele descendisse, etsi hic ipse a Varrone l. l.

non enumeratur inter eos, qui mediam agnoverunt. Itaque Tyrannio, Varronis ut videtur auctor, cum librum prosodiacum scriberet (de quo Ciceronis ad Att. XII 6, 2 verba audivimus), non noverat librum tertium Rhetorices (id quod vidit Usener Ein altes Lehrgebäude der Philologie, Sitz.-Ber. Münch. 1892, 636 = Kl. Schr. II 306) neque Poeticen Aristotelis. Et quam vaga fuerit mediae notitia — cuius locos ne nos quidem assecuti sumus — apparet ex spinosis argumentis, quae Varro cumulat ad mediam probandam (p. 79 ex. Schöll): „ipsam naturam nihil facere totum, ubi non sit medium; ut enim inter rudem et eruditum, inter calidum et frigidum, amarum et dulce, longum et breve est quiddam medium, quod neutrum est, sic inter imam summamque vocem esse mediam ibique quam quaerimus prosodiam. neminem musicum esse, qui mediam in cantu ignoraverit" eqs. Varro igitur nil sciebat de media quam inter acutam et gravem medium eam obtinere locum. Media igitur, quae propter musicae auctoritatem inter accentus assumpta est, cum illius memoria evanuit. Grammatici Alexandrini eam neglexerunt[1].

Postquam voces ἁρμονία et προσῳδία absolvimus, restat familia τόνος. In cuius sensu prosodiaco viris doctis ea videtur inesse difficultas, quod et vim et altitudinem significat. Nos quidem nunc nomina tantum tractamus, non accentus Graeci naturam. Tamen vel ex iis quae exposuimus, nonnulla etiam redundant ad eius naturam cognoscendam: 1) musicos vidimus musicis vocabulis hanc doctrinam condidisse; 2) etiam stirps τόνος apud musicos plerumque notat altitudinem (cf. s. p. 49 sqq.); 3) Graeci si in accentu voluissent notare vim et ictum, aliquando certe declinassent de musicorum usu et adhibuissent σφοδρότητα sim., id quod nusquam factum videmus usque ad vocabula Alexandrinorum usu fixa. Et vox τόνος cum cognatis ne prima quidem delata est ad accentus; sed huius rei nos quidem primum assequimur testimonium vocem δίτονος, qua Dionysius Olynthius, grammaticus Ephoro prior, significavit circumflexum (cf. Varron. apud [Serg.] test. 36

1) De Athenodori media v. i.

Schöll, Tatian. adversus Graecos c. 31, v. s. p. 69 adnot. 1 et i. p. 118). Et haec ipsa vox δίτονος procul est ab omni ictu, quippe quae nil exprimat nisi circumflexi duos sonos altitudine impares. Sequitur Aristoteles Soph. El. 169 a 22: ἡ δ' ἀπάτη (sc. in ambiguitatibus) γίνεται - καὶ παρὰ τὴν προσῳδίαν· οὐ γὰρ ἄλλο δοκεῖ σημαίνειν ἀνιέμενος καὶ ἐπιτεινόμενος ὁ λόγος, ἐπ' οὐδενὸς ἢ οὐκ ἐπὶ πολλῶν (i. e. nunquam fere vel saltem rarissime, et in scriptis tantum; κἀκεῖ δ' ἤδη παράσημα ποιοῦνται 177 b 6). Ipsae igitur voces dicuntur ἀνίεσθαι, si in gravem exeunt syllabam, contra ἐπιτείνεσθαι, si in acutam. Etiam haec plane ex musicorum consuetudine dicta sunt. Nam ut vidimus, is qui ex graviore sono ascendit ad acutiorem, ἐπιτείνει τὴν φωνήν (ut hic τὸν λόγον), qui contrarium facit, ἀνίησι ut τὴν φωνήν, ita τὸν λόγον. Et Aristoxenum audivimus dicere (p. 110, 6) esse φυσικὸν τὸ ἐπιτείνειν καὶ ἀνιέναι ἐν τῷ διαλέγεσθαι, unde efficiatur λογῶδές τι μέλος, τὸ συγκείμενον ἐκ τῶν προσῳδιῶν τῶν ἐν τοῖς ὀνόμασιν. Itaque si Glaucus Samius (apud Varron. l. l. test. 19 p. 81 Schöll, de quo mox agetur) acutum vocat ἐπιτεταμένην, gravem ἀνειμένην, hoc plane congruit cum Aristoxeno, qui p. 103, 19 ὀξύτης inquit est τὸ γενόμενον διὰ τῆς ἐπιτάσεως, βαρύτης δὲ τὸ γενόμενον διὰ τῆς ἀνέσεως. Contra Demetrius Byzantius apud Philodem. de poematibus (Hausrath, Annal. philol. suppl. 17 p. 247) fr. 18 si acutum vocat ἐπίτασιν, gravem ἄνεσιν, loquitur ex plurimorum consuetudine, qui ut ait Aristoxenus l. l., confundunt ἐπίτασιν cum ὀξύτητι, ἄνεσιν cum βαρύτητι. Sed idem Demetrius ex Aristoxeni sensu etiam vocem oxytonam dicit ἐπιτετάσθαι, barytonam ἀνεῖσθαι: τείχεος[1]) ἔξω (cf. Ι 67 et Υ 49; sc. agitur de poetarum studio accentus variandi, ne quis tenorum uniformitate fatigetur)· ἀμφότεραι αἱ πτώσεις

---

1) Locus gravissimus docet 1) Graecos in versibus accentus et sensisse et pronuntiasse (cf. ὀχλεῖσθαι τὴν ἀκοήν), quod item docet versus Menandri quem in prooemio attuli; 2) Philodemi eiusque auctoris temporibus nullum fuisse discrimen inter acutum vocum oxytonarum in constructione (ubi grammatici docent eum gravem fieri) et in pausa positum. Nam in versibus, de quorum clausulis agitur (Ι 67, Υ 49, Ρ 265) semper post ἔξω sive ἐκτός sequitur interpunctio, quare secundum

πίπτουσιν εἰς ἄνεσιν· ἄν γε μὲν ᾖ „τείχεος ἐκτός", τὴν μὲν πρώτην πτῶσιν ἀνίεσθαι, τὴν δ' ἐχομένην τἀναντία· καὶ ἐπὶ θατέρου (i. e. ἁλὸς ἔξω P 265) τὸ μὲν „ἁλός" ἐπιτετάσθαι, τὸ δὲ „ἔξω" ἀνεῖσθαι, ἂν δὲ „ἐκτός" τιθῶμεν (i. e. ἁλὸς ἐκτός), ἀμφοτέρων ἐπιτεινομένων ὀχλεῖσθαι τὴν ἀκοήν. τὰ μὲν ... ΤΑΝΟΜ .. ΩC[1]) θεωρ...... φησὶν — —]οκειμένων, [τὰ δ]ὲ κατὰ τὸν ἦχον ἀνέσει καὶ ἐπιτάσει καὶ προσπνεύσει καὶ ψιλότητι καὶ ἐπεκτάσει καὶ συστολῇ καὶ προθέσει καὶ πτώσει. ὧν πάντων ὀρθῶς εὑρισκομένων ἑλληνισμὸς ἀποτελεῖται καὶ ἁρμογή τις. Ex vocibus ἀνιέμενος et ἐπιτεινόνενος (λόγος) apparet Aristotelis aetate accentum etiam vocatum esse τάσιν sive τόνον, quae res non iam eget explicatione. Τάσις invenitur apud Dionysium de comp. p. 86, 10 sqq. (l. l.), ubi accentus audiunt τάσεις φωνῆς αἱ καλούμεναι προσῳδίαι; cf. cap. 11 p. 41, 3 sqq.; Herodian. I 5 Lentz (in fine prosodiae), Diomed. p. 456, 18 K. test. 42 Schöll. Τόνος ut vidimus definitur a Dionysio Thrace, assumitur in linguam Latinam a Nigidio Figulo, qui inter primos Romanorum de accentu

---

grammaticos ἐκτός retineret acutum, ἁλός mutaret in gravem. Atqui Philodemus dicit ἀμφοτέρας ἐπιτείνεσθαι; et grammaticorum regulae illius apud eum nec vola nec vestigium. Itaque Philodemi auctor non novit acutum in constructione in gravem mutatum. Idem docet Dionys. de comp. c. 11 (cf. Ehrlich Unters. p. 251 sq., qui tamen omisit alterum exemplum). Dionysius cum exponat Euripidem in compositione musica neglexisse accentus, καὶ τὸ „ἀποπρὸ βᾶτε" inquit οὐ λαμβάνει τὴν τῆς μέσης συλλαβῆς (sunt autem quinque syllabae, quarum media non potest non esse „πρὸ") προσῳδίαν ὀξεῖαν, ἀλλ' ἐπὶ τὴν τετάρτην συλλαβὴν (quae est βᾶ) μεταβέβηκεν ἡ τάσις ἡ τῆς τρίτης.

1) Neque Useneri neque Gomperzii supplementa efficiunt sensum satis aptum. Videntur fuisse talia: τὰ μὲν τῆς ἐννοίας (cf. 20, 2; ad sensum fr. 19) ὅλως (cf. 19, 11; 17, 23) θεωρητέα, φησίν, κρινόμενα ἐκ τῶν ὑποκειμένων, τὰ δὲ κατὰ τὸν ἦχον (sc. θεωρητέα) ἀνέσει κτλ. ὧν πάντων ὀρθῶς εὑρισκομένων ἑλληνισμὸς ἀποτελεῖται. Ut de verbis dubites, sensus certe sic efficitur aptissimus: cogitationes in universum quaeruntur, quippe quae pendeant ex iis de quibus agitur rebus, ex argumento et materie orationis (cf. 19, 13; 20, 1); contra elocutio in singulis spectatur, in accentuum varietate sim. Ad ὑποκειμένων cf. Philodem. de mus. 24 p. 31 Kemke καὶ τόνον οἰκεῖον ἔ[χειν ἑκά?]στην (sc. ἁρμονίαν) τοῖς ὑποκειμένοις πάθεσι.

egit, cf. Gell. XIII 26 (25), 3 test. 39 (l. attuli p. 111): „summum autem tonum προσῳδίαν acutam dicit" (sc. Nigidius, fr. 9 p. 165 Fun.). Ad eandem fere, i. e. Varronis aetatem redit interpretatio „tonor", cf. Varron. (?) apud [Serg.] p. 203 med. Schöll: „at quae radicem ducunt a Graecia et iugo latinarum declinationum succedunt, bifariam deducta ambiguas tonorum vias secuntur"; et Quint. 1, 5, 22 test. 37: „adhuc difficilior observatio est per tenores, quos quidem ab antiquis dictos tonores comperi, videlicet declinato a Graecis verbo, qui τόνους dicunt". Vox tenor quando inventa sit nescio; praeter Varronem (?) apud [Serg.] p. 204 Sch. primum quantum vidi occurrit apud Quintilianum l. l. et 1, 5, 26 test. 130.

Hic consistendum paulisper atque respiciendum. Musici ut altitudinis gradus notarent, e musicorum vocabulorum thesauro deprompserant ὀξύτητα, βαρύτητα, τὸ μέσον, iisque cum totam vocis regionem amplecterentur, omnes prosodiarum species erant subiungendae. Quod Aristotelem vidimus facere, qui contendit omnes syllabas esse aut acutas aut graves aut medias: cf. Soph. El. 166 b 1 sqq: τὸν Ὅμηρον ἔνιοι (i. e. Hippias Thasius, cf. Poet. 1461 a 21) διορθοῦνται πρὸς τοὺς ἐλέγχοντας ὡς ἀτόπως εἰρηκότα „τὸ μὲν οὐ (cf. Wackernagel Beitr. p. 9) καταπύθεται ὄμβρῳ". λύουσι γὰρ αὐτὸ τῇ προσῳδίᾳ, λέγοντες τὸ ου ὀξύτερον. Versu Ψ 328 enim pro τὸ μὲν οὐ καταπύθεται ὄμβρῳ Hippias legendum proposuerat τὸ μὲν οὗ καταπύθεται ὄμβρῳ, λᾶε δὲ (sc. ἀποδοτικῶς) τοῦ ἑκάτερθεν ἐρηρέδαται δύο λευκώ. Aristoteles igitur οὗ ὀξύτερον esse dicit quam οὐ, et recte quidem, siquidem etiam οὐ ut longa habuit flexionem quantulamcumque, quae in voce οὗ augetur ita ut altera mora acutior fiat. Sed haec flexio, postquam singula magis in accentibus cernebantur, proprium iuxta tres illas species accepit locum, ita ut evanesceret similitudo musicae, quae antea maior videbatur.

Prosodia flexa iam ante Aristotelem nota erat. Nam teste Varrone (test. 36 p. 88 Schöll) Ephorus Cymaeus (in libro περὶ λέξεως ut par est[1])) eam vocavit περίσπασιν, et

1) De Ephori, Isocratis sc. discipuli, libro περὶ λέξεως cf. E.

grammaticus Dionysius Olynthius, vir studiis Homericis deditus, qui fuit ante Ephorum, invenit nomen δίτονος[1]). Sed haec vox iam accuratiora indicat de flexa, quam ut eius antiquissimum nomen possit esse. Quod fuit κεκλασμένη opinor, quae a Varrone l. l. refertur ad „Epicharmum Syracusium". nescio quo iure. Immo hoc nomen videtur tam antiquum fuisse, ut eius auctor non iam potuerit inveniri. Quare referebatur ad Epicharmum, virum ob sapientiam proverbii loco celebratum et ut fama volebat de elementis bene meritum, cf. A. Wilmanns De Varronis libris grammaticis p. 59 ex. Et haec vox semper auctoritatem quandam retinuit, cf. Glauci de quibus i. agetur nomina et Dionysii Thracis finem accentus p. 6 Uhl.: τόνος ἐστὶν ἀπήχησις φωνῆς ἐναρμονίου - κατὰ περίκλασιν ἐν τῇ περισπωμένῃ.

Flexa vocata est κεκλασμένη translatione satis usitata in rebus musicis et auri obnoxiis; cf. vocem ὄρθιος (et σκολιός). Iam Homerus ea utitur imagine B 490:

πληθὺν (sc. Δαναῶν) δ' οὐκ ἂν ἐγὼ μυθήσομαι οὐδ' ὀνομήνω,
οὐδ' εἴ μοι δέκα μὲν γλῶσσαι, δέκα δὲ στόματ' εἶεν,
φωνὴ δ' ἄρρηκτος, χάλκεον δέ μοι ἦτορ ἐνείη —.

Vox quae rumpitur perdit sonum, ita ut vocales non suam servent altitudinem; cf. Theophrast. Char. 6, 7 μεγάλῃ τῇ φωνῇ καὶ παρερρωγυίᾳ λοιδορουμένων, quocum Lipsienses (p. 53) conferunt Plut. Tib. Gracch. 2, 4. Similiter sonus frangitur, si echo efficitur (de vocis repercussae ἀνακλάσει ad Glauci nomina agetur), cf. Π 78 Ἕκτορος ἀνδροφόνοιο Τρωσὶ κελεύοντος (ὄψ) περιάγνυται, et [Hes.] Scut. 279 περὶ δέ σφισιν

Schwartz P.-W. 11, 3, 34. Ex Gorgianis Antisthenes scripsit περὶ λέξεως ἢ περὶ χαρακτήρων (cf. Laert. Diog. 6, 15). Alcidamantem Elaitam elocutioni operam dedisse (cf. Laert. Diog. 9, 54) notum est.

1) Varro l. l. p. 531 narrat Dionysium „Olympium" circumflexum vocasse δίτονον. Susemihl (Lit. d. Alex. II 668) vidit — et eum dubitasse miror — hunc esse eundem quem affert Tatianus adv. Graecos c. 31 inter scriptores vitae Homeri: Θεαγένης τε ὁ Ῥηγῖνος ὁ κατὰ Καμβύσην γεγονώς, Στησίμβροτός τε ὁ Θάσιος καὶ Ἀντίμαχος ὁ Κολοφώνιος, Ἡρόδοτός τε ὁ Ἁλικαρνασσεὺς καὶ Διονύσιος ὁ Ὀλύνθιος, μετ' ἐκείνους Ἔφορος ὁ Κυμαῖος καὶ Φιλόχορος ὁ Ἀθηναῖος, κτλ.; cf ea, quae de Glaucone Teio exposui p. 69[1].

ἄγνυτο ἠχώ. Memineris etiam vocum καμπή, κάμπτειν, de quibus egit Crusius Comment. Ribbeck. p. 17 sqq., veluti Aristoph. fr. 644 K. φωνάριον εἶχεν ᾠδικὸν καὶ καμπτικόν, i. e. promptum ad modulationes[1]). Ipsum κλάσις est artis vocabulum de quavis voce usurpatum, quae non suam servat altitudinem, cf. Porphyr. in Ptol. p. 262 (adfert Ian ad loc. qui statim seq.) τὴν - διαστηματικὴν (φωνὴν) τὴν ὀρθότητα (i. e. μίαν τάσιν) μὴ σῴζουσαν dicunt κεκλάσθαι· διὸ καὶ τὸ μέλος ἀποδιδόασιν κλάσιν φωνῆς; Excerpt. Neapol. p. 413, 2 Ian τί ἐστι μέλος; διαστηματικῆς φωνῆς κεκλασμένης χρῆσις; cf. etiam Aristid. Quint. p. 12, 8 Iahn; Kretschmer Zeitschr. f. vergl. Sprachf. (l. l.) 30, 592 sqq. Inflexa vox erat commiserationem moventis, cf. Cic. de orat. 3, 58, 217; Quintil. 11, 3, 64 (plures locos affert Causeret Étude sur la langue rhét. dans Cicéron p. 204), eademque cinaedi, cf. Diogen. Bab. apud Philodem. de mus. IV col. 14, Stoic. fr. III p. 229, 29 Arnim; [Aristot.] Physiogn. 71, I p. 84 Förster; Dion. Cass. 79, 13. Κατακλωμένη φωνή (= παρερρωγυῖα) invenitur apud Hippocrat. Coac. praenot. I p. 272 in. Kühn. Ex quibus omnibus apparet, quam proclive Graecis fuerit circumflexum vocare κεκλασμένην, ita ut bene possit hoc esse antiquissimum nomen, licet non liqueat de „Epicharmo". Deinde Dionysius Olynthius duos in flexa agnovit sonos eamque vocavit δίτονον (προσῳδίαν). Ephorus non multo post primus ad eam stirpem recurrit, quae postea sola mansit, et flexam vocavit περίσπασιν, simili sc. imagine usus ei quae inest in κλάσει. Grammaticorum opinionem, qui flexam ex acuta et gravi componunt (cf. Dionys. de comp. p. 41, 5), „Ammonius Alexandrius, qui Aristarchi scholae successit", testatur nomine ὀξύβαρυς (sc. τόνος cf. Varron. test. 36). Sed antea de hac re non constabat. Nam tres flexionis species dicitur statuisse Glaucus Samius, vir omnium qui de accentibus egerunt subtilissimus ideoque praecipue dignus in quem summa cum cura inquiramus. Quem postquam tractaverimus, finem

---

1) cf. etiam Simonidis (ex hyporchemate) fr. 29 B. ἀπέλαστον ἵππον ἢ κύνα Ἀμυκλαίαν ἀγωνίῳ ἐλελιζόμενος ποδὶ μίμεο, καμπύλον μέλος διώκων.

faciemus cum Athenodoro Rhodio, cuius accentuum doctrina singularem obtinet locum. Praeterea is, etsi sub insuetis nominibus, ostendit usum a grammaticis fixum simplicibusque adstrictum regulis.

In Glauco duae res nos impediunt magnopere: primum vir ille densissimis obrutus est oblivionis tenebris; deinde eius accentuum nomina ne sana quidem ad nos pervenerunt. De eo Varro p. 81 Schöll narrat haec: „nec desunt qui prosodias plures esse quam quattuor putaverint, ut Glaucus Samius, a quo sex prosodiae sunt sub hisce nominibus: ἀνειμένη, μέση, ἐπιτεταμένη, κεκλασμένη, ἀντανακλωμένη, κ . . . . . . (?). sed hic quoque non dissentit a nobis; nam cuivis ex ipsis nominibus proclive est tres primas esse simplices et non alias quam βαρεῖαν μέσην ὀξεῖαν, postremas autem tres duplices et quasi species unius flexae, quae est genere una; hanc enim flecti non uno modo omnes putaverunt; Eratosthenes ex parte priore acuta in gravem posteriorem, Theodorus autem aliquando etiam ex gravi in acutiorem escendere. ceterum Varro in utramque partem moveri arbitratur, neque hoc facile fieri sine media“ eqs. Accedit test. 36 p. 88: „prosodiam ibi esse dicimus, ubi aut sursum est aut deorsum. quae demissior est quae < Glauci ἀνειμένη est, add. Schöll > a pluribus βαρεῖα appellatur graece -; at eam quae sursum est Glaucus ἐπιτεταμένην, item alius aliter, sed nemo adhuc levem vocavit -; verum ea nomen obtinet ὀξεῖαν“. Denique p. 81 Sch. grammaticus Glaucus Samius dicitur mediam statuisse. Haec sunt omnia quae scimus de Glauco. Nil enim certi assequimur ex schol. Plat. Phaed. p. 108 d ad locutionem Γλαύκου τέχνη (cf. Wilmanns De Varronis libris gramm. p. 60): ἔστι δὲ καὶ ἑτέρα τέχνη γραμμάτων, ἣν ἀνατιθέασι Γλαύκῳ Σαμίῳ, ἀφ' ἧς ἴσως καὶ ἡ παροιμία διεδόθη. Eum de quo agitur Glaucum potuisse scribere τέχνην γραμμάτων concedemus. Ceterum nota singularem tituli formam, qui videtur significare „Elementarphonetik“. Sed certi nil proficimus. Itaque relegamur ad Varronis verba.

In ipsis nominibus primum id mirum est, quod tria nomina perfectam praebent formam, quintum (ideoque fortasse sextum quoque quod excidit) praesentem. Et quattuor priora,

inter quae illa tria, nobis nota sunt. Nam vocibus ἀνίεσθαι et ἐπιτείνεσθαι usus est Aristoteles ad significandum acumen et gravitatem, μέσην idem Aristoteles (Poet. c. 20), praeterea Theophrastus et Hermocrates Iasius, Callimachi magister (cf. Varron. p. 81 Sch., Wilmanns l. l.) statuerunt; „Epicharmi" κεκλασμένη (Varr. test. 36) certe fuit inter antiquissima circumflexi nomina. Itaque restant ea quae ipse addidit Glaucus — nisi forte eum Aristotele putas esse priorem —, ἀντανακλωμένη et ea quam hausit lacuna. De quibus Schöll p. 81 adnot. 1 nullo addito argumento: „inter κεκλασμένη et ἀντανακλωμένη desideratur ἀνακλωμένη (ΛV/V)". Haec probat Crusius Philol. 53 suppl. p. 119, sed sive per errorem sive consulto notas apposuit ΛVV\. Uterque igitur putat ἀντανακλωμένην esse triplicem motum, cum Varro, cui interim fides est habenda, disertis verbis dicat „postremas tres esse duplices". Praeterea obstat usus atque consuetudo sermonis. Nam ἀνάκλασις et ἀντανάκλασις ut synonyma nuncupantur et significant plerumque vocem repercussam, echo, deinde refractionem luminis sim.; cf. Aetii Plac. 4, 20, 2 p. 410, 14 Diels: κινεῖται ἡ φωνὴ καὶ προσπίπτει εἰς τοὺς λείους τόπους καὶ ἀντανακλᾶται καθάπερ ἐπὶ τῆς σφαίρας τῆς βαλλομένης εἰς τοῖχον (cf. Et. Magn. p. 112 v. ἀντανάκλασις; Porphyr. in Ptol. p. 233 W., qui etsi nominat Aristotelem, ponit ἀντανακλᾶται), qui sequitur Aristotelem de anima 419 b 27 (id quod ostendit pilae resilientis similitudo): ἔοικε δ' ἀεὶ γίνεσθαι ἠχώ, ἀλλ' οὐ σαφής, ἐπεὶ συμβαίνει γε ἐπὶ τοῦ ψόφου καθάπερ καὶ ἐπὶ τοῦ φωτός· καὶ γὰρ τὸ φῶς ἀεὶ ἀνακλᾶται-, ἀλλ' οὐχ οὕτως ἀνακλᾶται ὥσπερ ἀφ' ὕδατος κτκ. Eodem modo ἀνάκλασις et ἀντανάκλασις mutantur in his: Ps.-Plut. Stromat. apud Euseb. P. E. 1, 8, 10, Diels Vors.[2] p. 158, 35 (qui sequitur Theophrastum, ut ait Dielesius) ὁ δὲ ἥλιος secundum Empedoclem τὴν φύσιν οὐκ ἔστι πῦρ, ἀλλὰ τοῦ πυρὸς ἀντανάκλασις ὁμοία τῇ ἀφ' ὕδατος γενομένῃ. De eadem re apud Aet. 2, 20, 13, Vors. p. 162, 22 et apud. Plut. de facie in orbe l. p. 929 c sq., Vors. p. 187, 21 dicitur ἀνάκλασις. Praeterea audi Suidam: ἀντανακλωμένη· κατὰ ἀνάκλασιν ἀπό τινος μεταγομένη. γίνεται δὲ τοῦτο ἐπὶ φωνῆς ὅταν ἀντηχῇ, καὶ ἐπὶ φωτὸς ἡλιακοῦ. Denique apud rhetores figura reflexionis modo dicitur

ἀνάκλασις (Quint. 9, 3, 97; Rutil. Lup. 1, 5; carm. de figuris v. 13), modo ἀντανάκλασις (Isidor. Orig. 2, 21, 10). Itaque aliud quaerendum est supplementum.

Sex quidem dicuntur secundum Glaucum esse prosodiae; sed ex tribus flexae speciebus uni putemus eum dedisse formam perfectam, alteri praesentis? Hoc satis mirum esset. Deinde, quid omnino est κεκλασμένη? Nonne vidimus κλάσιν esse quamvis seriem sonorum altitudine inaequalium, ita ut μέλος definiretur κλάσις φωνῆς? Κεκλασμένη ergo non potest esse species flexae, potest omnes flexionis modos uno nomine complecti. Quod si statuimus, bene intellegitur temporum discrimen: Glaucus assumpsit quattuor prosodias ante eum inventas; quartam ipse divisit in duas species, quibus nova indidit nomina. Plane idem docet ipse Varronis verborum nexus: „hanc enim, inquit, flecti non uno modo omnes putaverunt, Eratosthenes ex parte priore acuta in gravem posteriorem, Theodorus autem aliquando etiam ex gravi in acutiorem escendere". Itaque si Glaucus quoque duos flexionis statuit modos, eos oportet fuisse flexam ascendentem et descendentem. Hoc oppositum Graeci posteriores certe Alexandro exprimebant praepositionibus ἀνά et κατά (cf. s. de ἄνω et κάτω). Veluti apud Ptol. Harm. 2 c. 12 (cf. Graf De mus. p. 20) opponuntur ἀναπλοκή et καταπλοκή. Πλοκή autem id est genus melodiae, quod ex maioribus intervallis componitur (cf. Ptol. l. l.; Aristid. Quint. p. 19, 25 Iahn), cum ἀγωγήν efficiant soni in harmonia iuxtapositi. Et ἀναπλοκή ascendit in acumen, καταπλοκή remittitur; cf. etiam Dionysii Thrac. p. 6 κατὰ ἀνάτασιν ἐν τῇ ὀξείᾳ. Ergo apud Glaucum exspectes ἀνακλωμένη, κατακλωμένη. Sed consulto scripsit ἀντανακλωμένη; et haec ipsa res nobis ansam praebet ad huius viri indolem accuratius cognoscendam. Voluit enim nos commonere vocis repercussae; nam haec dicitur ἀντηχεῖν, de hac cf. Aesch. Pers. 390 ἀντηλάλαξε νησιώτιδος πέτρας ἠχώ; Eur. Andr. 745 σκιὰ γὰρ ἀντίστοιχος ὣς φωνὴν ἔχεις, 1144 κραυγὴ πέτραισιν ἀντέκλαγξ(ε); Aristoph. Thesm. 1059 Ἠχώ, λόγων ἀντῳδός, similia multa. Cuius cur Glaucus nos moneat, ostendunt duo loci problematum Aristotelicorum, qui quam proxime attingunt hanc quaestionem: 11, 6 διὰ τί πόρρωθεν αἱ φωναὶ ὀξύτεραι

δοκοῦσιν εἶναι; οἱ γοῦν μιμούμενοι τοὺς σφόδρα πόρρω ὄντας καὶ βοῶντας ὀξὺ φθέγγονται καὶ ὅμοιον τοῖς ἀπηχοῦσιν, καὶ τῆς ἠχοῦς ὀξύτερος φαίνεται ὁ ψόφος· ἔστι δὲ πόρρω, ἀνακλᾶται γάρ; cf. 19, 11 διὰ τί ἡ ἀπηχοῦσα ὀξυτέρα; 11, 20; 11, 51 διὰ τί, εἴπερ ἡ φωνή ἐστιν ἀήρ τις ἐσχηματισμένος καὶ φερόμενος, διαλύεται πολλάκις τὸ σχῆμα, ἡ δὲ ἠχὼ οὐ διαλύεται, ἀλλὰ σαφῶς ἀκούομεν; — ἢ διότι ἀνάκλασίς ἐστιν, οὐ κατάκλασις; Itaque ἀντανακλωμένη ea est flexae species, cuius, ut in voce repercussa videtur esse, sonus posterior (paulo) est acutior (sic iam Blass Aussprache des Griechischen[3] p. 130 censet ἀντανακλωμένην ascendere; ibique enumerat priores). Cui opponitur κατακλωμένη, flexa descendens (cf. Hippocr. Coac. praenot. I 272 in. Kühn αἱ κατακλώμεναι φωναὶ μετὰ φαρμακείην ἦρα πονηρόν;). Et cum praeter eos quos attuli locos nemo Graecorum contenderit vocem repercussam esse acutiorem (cf. Stumpf Tonpsych. I 242), verisimile est Glaucum Samium fuisse inter veteres Peripateticos, ad quos etiam Problemata illa redeunt, i. e. Stratonis fere aequalem[1]). Eiusdem fere temporis videtur esse libellus de audibilibus.

Fortasse Hermocrates[2]) quoque Iasius, Callimachi praeceptor, fuit Peripateticus. Nam ex Lyceo litteras transmigrasse Alexandriam notum est. Qui circumflexum vocavit σύμπλεκτον (Varr. test. 36), quae vox potuit complecti utramque flexionem. Ad eam cf. alterum locum Peripateticum, [Aristot.] Physiognom. p. 813 b 1: ὅσοι βαρύτονον φωνοῦσι μέγα, μὴ πεπλεγμένον, ⟨deest indicium indolis, veluti ἀνδρεῖοι·⟩ ἀναφέρεται ἐπὶ τοὺς εὐρώστους κύνας καὶ ἐπὶ τὴν ἐπιπρέπειαν; qui μὴ πεπλεγμένον vociferantur, simplices sonos edunt, non compositos neque flexos mixtosve (cf. ea quae huic dicto antecedunt). Hanc stirpem a musicis quoque esse ad-

---

1) Theodori quem Varro dicit flexam ascendentem statuisse nescimus aetatem; videtur fuisse is οὗ τὸ φωνασκικὸν φέρεται βιβλίον πάγκαλον (Diog. Laert. 2, 103; sic Susemihl Lit. d. Alex. II 516), histrio si dis placet.

2) Hermocratem (omisso cognomine) de elementis egisse narrat Marius Victorinus p. 23, 14 sqq., Funaioli Gramm. Rom. fr. I p. 2.

hibitam docet πλοκή (cf. Ptol. l. l. 2, 12; Aristid. Quint. p. 19, 25 Iahn).

Item Peripateticus fuit Athenodorus Rhodius (de quo Susemihl II 322; Fr. Olivier De Critolao Peripatetico, diss. Berol. 1895 p. 10 sq.; Ehrlich Unters. p. 253), qui ultimus nobis est tractandus. De quo Varro test. 19 p. 79 Sch. habet haec: „Athenodorus duas esse prosodias putavit, unam inferiorem alteram superiorem; flexam autem — nam ita nostra lingua περισπωμένην vocavimus — nihil aliud esse quam has duas in una syllaba"; et p. 81: „scire - oportet - omnium, qui ante Varronem et Tyrannionem de prosodia aliquid reliquerunt, plurimos et clarissimos quosque mediae huius fecisse mentionem, quos omnes sibi fuisse auctores Varro commemorat: grammaticos Glaucum Samium et Hermocraten Iasium; item philosophum Theophrastum, peripateticum, cui divina facundia nomen adscivit, nec non eiusdem sectae Athenodorum, summi acuminis virum, qui quandam prosodiam μονότονον appellat, quae videtur non alia esse quam media, licet diverso vocabulo." Tenemus igitur Athenodorum Peripateticum. De eodem schol. Lond. in Dionys. Thrac. p. 474, 19 Hilg. οἱ περὶ Ἀθηνόδωρον τῷ μέλει παρεικάζουσι τὴν προσῳδίαν. De Athenodoro Rhodio Quintil. 2, 17, 15: „multa Critolaus contra, multa Rhodius Athenodorus (sc. contra Aristotelem rhetoricae arti „particulam civilitatis adsignantem"). Agnon quidem detraxit sibi inscriptione ipsa fidem, qua rhetorices accusationem professus est; nam de Epicuro, qui disciplinas omnes fugit, nihil miror". Hic certe idem fuit qui Varronis „Athenodorus peripateticus" [1]). Praeterea Athenodori citantur Περίπατοι (cf. Olivier l. l.), ex

1) Consideres velim etiam haec: Quint. 2, 15, 23 „quidam eam (rhetoricam) neque vim neque scientiam neque artem putaverunt, sed Cristolaus „usum dicendi" (nam hoc τριβή significat), Athenaeus „fallendi artem"". Huius autem Athenaei, qui 3, 1, 16 vocatur „aemulus Hermagorae" neque umquam rhetoricen impugnavit sed ipse in status inquisivit, finem affert Sextus adv. rhet. 62 p. 687, 19 Bkk. hunc: λόγων δύναμις στοχαζομένη τῆς τῶν ἀκουόντων πειθοῦς. Quae pugnant cum Quintiliani verbis. An latet Athenodorus sub Athenaeo homine magis noto?

quibus afferuntur de philosophis narratiunculae quales Peripatetici in deliciis habuerunt. Quorum auctorem cur Gercke P.-W. s. v. Athenodorus 20 non putet fuisse Peripateticum, nescio. Eiusdem generis fuit Athenodori libellus περὶ σπουδῆς καὶ παιδιᾶς (Athen. 12, 519 b). Quibus omnibus rebus computatis (recentissimus in Περιπάτοις commemoratur Diogenes Tarsensis Epicureus: Diog. Laert. 6, 81; Olivier l. l.) Athenodori ἀκμήν tribuemus saeculo a. Chr. alteri posteriori sive exeunti. Inscriptiones litem non secant; nam Athenodori nomen Rhodi sollemne fuit in ea familia, ad quam redit Laocoontis statua, cf. IG XII 1, 46, 19; 1, 181 = Dittenberger Syll. 905; Ditt. 245.

Duas tantum prosodias Athenodorus esse putavit, inferiorem superiorem, quarum altera fuit μονότονος, quae videtur esse media. Qua in re non mirum est, quod duas tantum statuit prosodias; nam hoc idem post Alexandrinos grammaticos sollemne factum est, siquidem etiam Ammonius Successor (Varr. test. 36) circumflexum vocavit ὀξύβαρυν; sed mirum est ex duabus his alteram Varroni visam esse mediam. Nam ubi media est, ibi desideratur acuta et gravis. Ehrlich, qui l. l. multa audacius profert de Athenodoro, putat eum neglexisse gravem, et acutum et medium unos pro accentibus habuisse. Sed hoc plane inauditum est in grammatico illius aetatis et omnino antiquitatis. Et cur Athenodorus non retinuit vocem μέση, sed eius loco posuit mirum illud μονότονος? Quid est omnino μονότονος? Tonus simplex? At altera quoque prosodia simplex sit oportet; nam ex utraque componitur flexa. Neque de μονοτονίᾳ totius enuntiati cogitare licet in singulis tenoribus. Porro quid voci μονότονος cum media? Nam Varro non multo plura videtur habuisse quam nomina, sicuti in Glauco eum ex nominibus concludere vidimus. Ne longus sim, haec vox corrupta est ex voce ὁμότονος; cf. Plat. Phil. 17 c: φωνὴ μέν που ἐστὶ μία ἐν αὐτῇ (τῇ μουσικῇ). — δύο δὲ θῶμεν βαρὺ καὶ ὀξύ, καὶ τρίτον ὁμότονον, quod est medium inter utrumque. Similiter Ps. Archytas de oppositis fr, 40, 6 Schulte: πολλῶ δὲ καὶ ὀλίγω μεταξὺ τὸ μέτριον καὶ ὀξέος δὲ καὶ βαρέος τὸ ὁμόφωνον. A Ps.-Archyta pendet Nicomachus Geras. Instit. arithm. 1, 16 p. 39 Hoche: τὸ δὲ ἴσον

τοῦ πλείονος καὶ ἐλάττονος πάντως ἐν μεταιχμίῳ θεωρεῖται, καὶ ἔστιν ὥσπερ τὸ μέτριον τοῦ ὑπερβάλλοντος καὶ τοῦ ἐλλείποντος μεταξύ, καὶ τὸ ὁμόφωνον τοῦ ὀξυτέρου καὶ βαρυτέρου. Itaque ὁμότονος prosodia, quae est „media inter intentionem et remissionem" (cf. apud Ps.-Archytam l. l. ἰσοταχές), secundum vocis quidem formam est media. Tamen Athenodorus hoc vocabulum consulto adhibuit, quod eius ὁμότονος sensu non erat eadem quae reliquorum media. Iam Glaucum Samium vidimus respuisse vocabula usitata ὀξεῖα et βαρεῖα. Nam postquam musicorum sonorum regio compluria diapason intervalla complectebatur, acumen et gravitas latius distabant quam diapente intervallo, quod inter accentum acutum et gravem interesse statuerant Aristoxenii. Praeterea virorum acutissimi soni fere graves erant cum mulierum gravissimis comparati. Talia scrupula Athenodorum commoverunt, ut abiceret voces ὀξύς et βαρύς. Et recte statuit accentum gravem proferri aequabili quadam tensione, quae medium tenet eius regionis, quam amplectitur uniuscuiusque hominis vox; acutum autem effici tensione paulo maiore; cf. Cic. de orat. 3, 61, 227: „in omni voce est quiddam medium, sed suum quoique voci". Ideo assumpsit ὁμότονον quae ut in infantium ita virorum vocem quadrat, quae est ceterorum gravis, et ἐπιτεταμένην sive σύντονον sive tale quid; ex quibus componitur circumflexus. Revera igitur Athenodori systema idem est quod Dionysii Thracis; neque tempore multum ab eo afuisse videtur.

Iam ut quaestione ad finem perducta totius rei summam faciamus, vidimus opinor, quibus ex fontibus accentuum nomina in unum confluxerint. Antiquitus voces ὀξύς et βαρύς etiam de sonis non musicis nuncupabantur. Sed ratione primi haec tractaverunt physici Pythagorei, qui quaerebant quomodo sermo differret a cantu. Ii vocalium sonum vocaverunt ἁρμονίαν, quia vocalibus nititur cantus et illae iisdem proferuntur vocis instrumentis quibus melodia. Insuper fortasse accedit, quod in ipsa vocalium serie clarae voces (veluti i) altiores videntur quam „fuscae" (αἱ σομφαί). Denique Pythagoreis hoc nomen etiam commendabat numeri paritas (ἑπτὰ φωνήεντα — ἑπτὰ

φθόγγοι in harmonia). Sed iidem mox in vocalibus accentuum harmoniam distinxerunt. Secuti sunt sophistae. Quorum aetate musica ars reliquas artes sua natura quasi imbuit, ita ut rhetores et in singulis sonis membrisve et in tota orationis compositione illius blandimenta aemularentur. Tum loquebantur de sermonis harmonia in sonorum quidem mixtura posita sed quae actione patefieret. Quin etiam eosdem quos musici affectus sese excitaturos esse speraverunt. Memineris nostrae aetatis, ubi et lyrici prae sonorum euphonia sensum contemnunt et pictores detrectata imitatione naturae ad musicae similitudinem novam artem temptant. Sed videmus, quam proclive fuerit illius aetatis hominibus, in accentibus ad res musicas usque recurrere. Sic acumini et gravitati tum addita est media regio, et ἁρμονία, quae semper et ubique duarum minime rerum relationem significabat, cessit τῇ προσῳδίᾳ. Mox accessit τόνος, quae vox tamen ut inter altitudinem et vehementiam ambigua neque prima neque sola accentus notavit. Flexio initio ut species quaedam accinendi suum obtinuit locum. Quis eam acumini et gravitati addiderit, nescimus. In universum autem statuendum est antiquissimos grammaticos in accentibus id egisse, ut in vivo sermone omnes accinendi modos detegerent atque describerent. Haec studia floruerunt inter veteres Peripateticos, qui res auribus obnoxias praecipue tractaverunt, id quod testantur Ps.-Aristotelis Problematum sectiones XI et XIX et libellus de audibilibus. Quorum aures quantam ad subtilitatem fuerint excultae, inde apparet, quod discrimen inter acutum et gravem accurate notare conati sunt (cf. Dionys. de comp. c. 11). Illorum virorum prosodiacorum agmen claudit Glaucus Samius, qui et omnia collegit quae priores invenerant et de suo (nisi quidem Theodorum secutus est) circumflexi species addidit.

Aliter rem tractaverunt posteriores. Grammatici enim Alexandrini, nisi accentus pro interpretandi Homeri instrumento praecipue habuissent, passi non essent priorum studia oblivionis tenebris obrui, sed Glauci nomina, omnium longe subtilissima et accuratissima, certe commemorassent. Unde apparet eos non ut priores ubique ad aurium recurrisse iudicium, sed prae regularum simplicitate neglexisse vivi sermonis varietatem.

Accedit, quod pronuntiatio ipsa sensim mutari videtur, cuius rei non desunt indicia. Dionysius de comp. c. 11 p. 40 ex. sq. putat in sermone unum diapente intervallum inesse (cf. p. 41, 13) et praeter acutam omnes syllabas esse graves. Praeterea de comp. c. 18 permire numeros in oratione distribuit, ita ut inter voces ὦ et ἄνδρες hiatum admittat (p. 78, 4 sqq.) et vocis εὔνοιαν ultimam syllabam producat (p. 78, 9 sqq.). Denique quae saepius exponit de singulorum sonorum mixtura harmonica, quatenus quidem accentuum varietate efficiatur, tam vaga sunt, ut ea a prioribus tota pendere neque talia ipsi Dionysio, cum sua componeret, curae fuisse suspiceris. Quare vix possumus abstinere, quin statuamus iam Dionysii aetate veteris pronuntiationis fundamentum concussum esse. Sed et apud ipsos grammaticos in accentuum doctrina multa mira occurrunt. Herodianus I 5 L. (cf. s. p. 112) προσῳδίαν plane eodem modo definit quo Dionysius Thrax τὸν τόνον, ita tamen ut contra priorum usum etiam longitudinem et crassitudinem „prosodiae" subiungat. Sed quaeso, quomodo fieri potuit, ut in re tam principali Herodianus discreparet ab Aristarcho? Accedit quod priores grammatici non novisse videntur gravem pro acuto in constructione verborum positum (cf. s. p. 118 [1]). Itaque in accentuum doctrina grammatica haec iam oritur quaestio proxima atque gravissima, quibus fontibus usus Herodianus prosodiae thesaurum condiderit, num omnino vivum sermonem secutus sit. Deinde similis apparet difficultas in notarum usu describendo. Nam sicuti Herodiani opus subito quasi e tenebris emergit, ita etiam notarum usum statim perfectum videmus in antiquissimis codicibus minusculis litteris exaratis. Itaque hic sicuti v. c. etiam in metricis rebus accurate excutienda erit auctoritas veterum, a quibus pendemus; nam aliter ad ipsas res non poterimus progredi. Et in accentibus apparuit, quam non liceat confidere posterioribus docentibus de antiqua illa aetate, cuius ne sermone quidem iam loquebantur. Sed iis, qui accentuum doctrinam condiderunt, prae altitudinis discrimine in lingua Graeca plane evanuisse ictum vehementiamque, hoc iam pro certo licet affirmare.

Conspectus libelli.